CARMINVM
LIBRI QVATVOR
DISCESSVRO
LEMENSIVM
COMITI.
COLLEGII NEAPOLITANI
SOCIETATIS IESV
MVNVSCVLVM.

Laudationem continens, qua à Patribus eiusdem Societatis exceptus est.





NEAPOLI, Ex Typographia Tarquinij Longi. MDCXVI.

Superiorum permissu.





ILLVSTRISS. ATQ. EXCELL. DD.

PETRO FENANDEZ DE CASTRO LEMENSIVM COMITI, AC NEAPOLITANO PROREGI

COLLEGIVM NEAPOLITANVM SOCIETATIS IESV FELICITATEM.





ABES, Princeps Ampliſs. ſtipendiarij amoris hoc qualecumque monumentum, pignus idem officij noſtri, beneficij tui. Extorsit expectati propediē diſceſſus iam maturata celeritas vnius vix intra menſis curriculum non tam elaboratum induſtria, quam tumultuario inchoatum opere, ac prope extemporaneum libellum, eius gloriæ ſeruientem; cui ad immortalitatem nato, atq; in omnem poſteritatis memoriam tranſcribendo ſuffragatur æternitas. Quod ipſum etiam in beneficio reponimus; vt, quando orationem tuæ Amplitudini parem affer-

re non possumus, in tam augusti lauda-
tione nominis, temporis angustias accu-
semus. Dabis hoc etiam, PETRE, beni-
gnitati tuæ, vt hic tibi codex in mentem
reuocet felicissimum illum, ac nunquam
è fastis expungendum diem, quo tua se
ad nostri humilitatem tectuli abiecit pæ-
nè prodiga maiestatis humanitas: quæ
aspectum illum tuum iustitiæ vindicem,
scelerum vltorem, atq; oculis spirantem
impèria, quadam hilaritate conspersit; vt
iam cœlo similem diceremus, sed innubi-
lo, ac nitenti. quo factum est, vt, dum ocu
lis lustrares omnia, quasi benigno quo-
dam afflatu siderum, m[illegible]um ingenia;
quæ hic inter scholasticam barbariem
exaruerant, effloruerint. Quisq. tuis in
laudibus conati sumus, infantissimam
vel in senibus Musam blaterantem audi-
sti, quæ in Philosophiæ salebris, ac Theo-
logica seueritate pænè demortua tuo as-
pectu reuixit, te non tam Mæcenatem,
quàm Parentem, ac Phœbum alterum
venerata. Quid enim caussæ fuisse dixe-
rim, cur eo die toto sub peristromatis de-
li-


litescente pomario, sola non decesserit laurus, nisi quia Phœbo sacra suum in te Apollinem agnoscebat? & sane si tuis auspicijs Equus ille marmoreus Sapientiæ fontem in clementissimo cliuo, alter veluti Pegasus, excitauit: marmore duriorem Musam experti essemus, nisi aliquẽ nobis etiam riuulum deriuasset ad tanti præsertim commendationem nominis; in quo laudando Poëtica non nisi mendacium desiderauit. Illud etiam Societati nostræ tibi addictissimæ præstitit; vt, cum gratias referre non possit, quas debet innumeras, se carminum excuset numeris, & vincta oratione tuis se deuinctam beneficijs vel ipsis dicendi vinculis fateatur. Neq; Princeps humanissime, eo die instituti nostri rationem non probasti. Vidimus comiter perlegentem carmina, recitantem etiam non sine admiratione audiuimus. quò fit, vt eò nunc tutius tuo se conspectui restituant, neque si, vt iusseras, typis libellus hic excudatur, lucem reformidet, quando lucem oculorum tuorum tulit. Vale.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

ARMINA, atq; elogia à Societatis IESV Patribus eo expoſita die, quo Illuſtriſſimi, atq; Excellentiſſimi Fratres Petrus Fernandez, ac Franciſcus de Caſtro in eorum Collegium excepti ſunt, in manus meas cum ſorte deueniſſent, eorum iacturæ ſane pertimui. quam vt nouis exemplaribus repararem, operæ pretium me facturum exiſtimaui, ſi ea typis imprimerem, non ea ſolum de cauſſa, vt haberet Neapolitana iuuentus, quod imitaretur, ac diſceret, verum etiã ne Caſtrium nomen, quod omnem pœne terrarum Orbem meritis, ac fama peragrauit, è Noſtratium animis dilaberetur aliquando, ſed ijs verſandis, ac perlegendis, altius hæreret in dies. Cape igitur qualeſcumq; hos Typographiæ noſtræ labores, & æqui boniq; conſule, ſi cuius gloriæ tot clariſſimorum, ac religioſorum hominum ingenia ſtuderunt; ei noſtri Typi deſeruiant.



CAR-



CARMINVM LIBER PRIMVS


EPIGRAMMATA



IANITORIS LVSVS.

I.

*Mnia par Soli, differs hoc, Castrie, in vno.*
Effugat ille Oriens, tu facis astra Oriens.
Cerne nouo, nostris cum nasceris ædibus hospes,
Syderis in morem lumine quisq; micat.
Me certe, quia prima tuo pando ostia Eoo,
Auroræ reddis, Luciferoque parem.



ILLVSTRISSIMIS EXCELLENTISSIMISQVE DD.

PETRO FERNANDEZ,

ET

FRANCISCO DE CASTRO

FRATRIBVS.

QVOS LEMENSIVM, ATQ. CASTRENSIVM
COMITES.

Virtus Neapolitano, Siculoq; Regno præfecit,
Qui cum litteris arma,
Cum Virtute Fortunam,
Cum repetita ab Regibus origine Religionem
coniunxere.
Quorum in consilio Sapientiam,
In imperio Modestiam,
In Iure tuendo Constantiam,
In occupando Popularium amore Felicitatem,
In administranda Republica Gloriam
Aspexit nemo, quin suspexerit,
SOCIETAS IESV
Tenues hos Poëticæ riuulos ex aqua Castria,
Nouo Heliconis fonte,
Deducit, dicatq́.

PETRO CASTRIO CARMEN HOC NOVO APOLLINI MVSA DICAT.

II.

O Summe, o priscis æquande heroibus heros,
Ingenia ad laudes non sumus apta tuas.
Quisque tamen Te vtcumque canit, magis ille, quid optet,
Quidue queat, quàm quid promereare, memor.
At dum nostra tuum nituntur carmina nomen
Tollere, ab hoc solum nomine nomen habent.
Hinc ingens adeò surgat tibi fama, quòd illis,
Qui tua dant famæ nomina, fama venit.

NASCENTI. REGIO PROGNATVS SANGVINE.

III.

NAscentem occiduus te Sol vt, Castrie, vidit,
Quantus, ait, quanta nascere stirpe, puer!
Lisiadum generose nepos à sanguine Regum,
Cui quot Aui, Auroræ præ tot iere tuæ.
Quæ tibi, quæ titulis vitam, & natalibus ausit
Stamine vulgari texere Parca parem?
Nunc cadite, intonsi crines. vos vellera tanto
Este, quibus Puero secula texat honos.

IV.

AEmulus Oceano, quà Soli flumina pandit
Occiduo, & fessos condit Iberus equos,
Castrius exoritur, genus alto à sanguine Regum,
Lampade, Phœbæas quæ micat ante faces.
Ergo vltra ne iacta in te Titana cadentem,
Occiduæ Eoum pandis Ibere iubar.

NATVRÆ, ET ARTIS IN EO formando certamen.

V.

LIs noua Pindo visa est Naturam inter, & Artem.
Imperio humanum duceret vtra genus.
Ars fera Naturam informem increpat; obstitit illa,
Atque ait; ò Artis, tu me imitaris, opus.
Seruitio tu nata meo; Natura quid ausit
Cernas, & tu, te Iudice, victa cades.
Castrius hic meus est: siste hoc in nomine; Phœbus
Me monuit; magno est nomine fama minor.
Cedo, ait Ars; tanto dicar modo victa magistro:
Nam neq; Naturæ, nec fuit Artis opus.

QVID SEX IN GENTILITIO STEMMATE designent orbes.

EMBLEMA.

Ioue fulminante Gygantææ molis excidium.

VI.

OSsa superpositum quondam gestauit Olympum,
Impia cum cæli scanderet astra cohors.
Haud impune quidem: moto cadit æthere fulmen,
Et ruit insanæ seditionis opus.
Scilicet haud Ossæ tibi componendus Olympus,
Nec iaculata graui tela pauenda manu.
Sexgeminum patrio radiat tibi stemmate Cælum,
Petre, quid inuideas astra minora Ioui?

IDEM.

Emblema.

PROMETHEVS IGNEAM FVRATVS Ferulam.

VII.

OLim sideros superaſse Promethea campos,
Et cælo flammas subripuiſse ferunt.
Prisca fides. Orbis rapto micat igne: malorum
Ingruit at terris perniciosa cohors.

Tu melior, Castri, supera delapsus ab aura,
Sex rapis è septem, quos habet illa, Polis.
Nec te dira lues sequitur. proh rara potestas!
Cui tantum licuit, quid licuisse nefas?

QVID CORONA IISDEM ORBIBVS imposita.

Emblema

ASTRVM ARIADNAEVM.

VIII.

G*Nossiadis quondam crines flammante corona*
Dicitur Ogygius condecorasse Deus.
Scilicet illa Polos duodeno circinat astro;
Fallor, an illa tuum possidet d[illegible]us?
Sic equidem reor. haud fallunt oracula Vatem:
Venit, vt æterna det tibi regna vice.
Nec iactura fuit, Castri; si liquit Olympum;
Vnum pro senis despicit illa Polum.

IDEM ARGVMENTVM.

IX.

M*Agnus Alexander totum lustrauerat Orbem,*
Cui licet Orbis erat non satis, vnus erat.
Est tibi par Magno virtus, at gloria maior,
Indicat vt gentis nobile stemma tuæ.

Vel quia sex vnus tantum complecteris Orbes;
Vel quia sex vnum continuisse negant.

IDEM

Emblema

ORBES SEX COLVMNIS AD METAM superimponi soliti.

X.

QVisquis Olympiacæ miratus premia pugnæ
Certabat palma nobiliore frui.
Ille superpositos ardebat proximus Orbes
Curriculo emenso corripuisse viæ.
Petre, tuo fulgent orbes si in stemmate seni;
Iam tibi stat laudum laurea, meta tua est.

SOLEM ALTERVM HISPANIÆ præluxisse.

HESPERVS LOQVITVR.

XI.

CEssere Austriacæ tibi sidera quælibet aulæ,
Castriæ; cum nostro Sol orerere Polo.
Vnus ego radijs nitui maioribus auctus;
Quique dabam Stellis lumina, tunc rapui.
Et dixi; occidui sumne Hesperus aßecla Solis?
Anne eo natales Lucifer ante tuos?

CVR

CVR IN GENTILITIO STEMMATE dracones orbibus ſupponantur.

XII.

* Sex gentilities orbes, eſſe aurea Heſperidum poma, poetice fingit.

*STemmate ſena tuo rutilant * poma aurea, Caſtri,*
Qualia tergeminæ rura ſororis habent.
Parte alia, duo ſe iactant capita alta draconum.
Heſperidum in ſyluis anguis at vnus erat.
Nempe tuum eſt auro Heſperidum pretioſius: vnus
Nec ſatis excubitor, nec ſatis anguis erat.

SAPIENTIAE, AC MVSARVM ALVMNO.

Emblema.

ORPHEVS CITHARAM TANGENS Siluis, feriſque ſequacibus.

XIII.

ET quondam Rhodope (ſemper niſi Græcia mendax)
Iſmariam vidit monſtra ſecuta chelyn.
Et nunc auritam (nec lucem inſomnia fallunt)
Ad tua Parthenopen, Caſtrie, plectra rapis.
O quantò meliora noui miracula cantus:
Allicit hic homines, allicit ille feras.

PHOE-

X I V.

QVicquid ab armorum imperio, sophiæque, trophæi
Abstulit Hesperiæ Castrius vnus honos:
Exuuias tibi Phœbe refert, templisque refigit,
Et spolia Aonia victor in æde locat.
Iam tibi victor adest par omnia, Phœbe. coronam
Pierides sacris addite temporibus.
Sic ipse addubitem, quis Delius alter, an alter?
Dumq; nefas Phœbum credere, credo duos.

QVAMVIS BELLICIS ARTIBVS instructissimus, Phœbum potius, quam Martem refert.

X V.

SEu patriam superans laudem, generosus in hostem
Irruis, & rapido fræna remittis equo:
Ille putans Thracem venisse ad prælia Martem,
Cogetur trepidæ vertere terga fugæ.
Seu Libycæ tutus freta findis inhospita Syrtis:
Iure Afer pelagi te canet esse Deum.
Illius at puppes si corripis igne rebelles:
Torquentem metuet fulmina sæua Iouem.
Nunc galeam quando pateris mitescere lauro;
Mars, Fernande, hosti: sed mihi Phœbus eris.

Idem

IDEM

Emblema.

PROTEVS MVLTIFORMIS.

XVI.

Est in Carpathio, si vera est fama, recessu
Proteus, Nereidum quem coluere chorus.
Ille omnes fingit formas, diffingit et omnes:
Quemlibet et centum ludit imaginibus.
Carpathio diues contendat Iberia fluctu:
Hæc alium partu nobiliore tulit.
Proteus hic rerum tot se in miracula vertit,
Quot semel ingenio concipit, arte parit.
Ille ferarum; diuina hic in imagine diues:
Ille vndis; tota hic Vrbe, vel orbe potens.
Ille nouam si formam optat, primam exuat: ast hic
Immotus cunctas exprimit artis opes.

MERCVRIO SIMILLIMVS.

XVII.

Nil, Fernande, tibi præstat Cyllenius. esse,
Nomina si demas, alter vterque potest.
Illum magnus Atlas; docuit te maxima Pallas,
Cum puer incerto vix graderere pede.
Phœbus adhuc ambos queritur, miratur et ambos.
Ille Deo pharetram; subripis ipse chelyn.

AVREA PRINCIPIS ELOQVENTIA.
XVIII.

QVanta venit fuluo Pactoli e gurgite merces,
Hermo quanta venit diuite, quanta Tago:
Tantus ab aurifero nitor est qui spargitur ore,
Dum, Petre, didit opes aurea lingua tuas.
Perge age: dita Orbem, atq; istuc sere prodigus aurum.
Aureus hoc auro forsitan Orbis erit.

PHOEBO, ATQVE ORPHEO
in Poetica laude præfertur.

XIX.

DVm caneres, auida Phœbe procul aure canenti
Adfuit, et tacito substitit illa pede.
Utq; nouum bibit hac melos: quis ad æthera iactet,
Inquit, Apollineas, Ismaridque lyras?
Huic mulcere aures; trahere huic fera saxa dederunt
Cælicolæ. at Petro cor trahere, atq; animam.

APOLLINIS, ET ORPHEI LYRA
Hæreditario iure Petro cedere debuerat.

Emblema

Lyra in Hebro Fluuio derelicta.

XX.

EXul ad Amphrisum Phœbus cum degeret olim,
Sæpius hac fertur concinuisse chely.

Vt cessit terris; vates hac dicitur Orpheus
Traxisse et montes, et nemora, et fluuios.
Quid medio hanc Hebro moriens male liqueris Orpheu?
Debuit hæc post te cedere Castriadæ.

PHOEBVM CANTV, MARTEM ARMORVM studio præcurrit.

XXI.

PETRE canis? cantu Spartanos vincis olores:
Orphea te credant Ismara, Castriade.
Bella geris? talis fertur generosus Achilles
Gessisse in Phrygios bella pelasga duces.
His potis es Phœbum studijs, his vincere Martem.
Hoc, Castri, superest: te quoque vince Iouem.

TVM SCRIBENDO, TVM BELLANDO præclarus.

XXII.

ET calamo, et gladio polles: ille euocat Orco;
Hic hostem in stygias, cum volet, vrget aquas.
Vitam aufers, fers et vitæ irremeabile munus.
Vna manus vitæ ius habet, vna necis.
Vis vni si tanta; vnum miremur et omnes
Semideumq; virum, semiuirumq; Deum.

IDEM ARGVMENTVM.

X X I I I.

NI canat alter; erit, cui fortia facta gerantur!
Ni gerat alter; erit, qui pia facta canat!
Quæ bona vate caret virtus; par illa sepultæ
Dicitur, & Lethes immorietur aquis.
Qui vates heroe caret; par omnia muto est,
Nec generosa, tuba deside, facta feret.
Virtute Æaciden, Castri, præcurris, et vnus
Mæonia maius doctus hiare tuba.
Tu facere, & canere æque aptus: quin diceris idem
Tu tibi Pelides, tu tibi Mæonides.

LAVRVS, QVÆ DELITESCENTE sub peristromatis pomario, vna non latuit, Petrum Castrium sic obuium alloquitur.

X X I V.

QVòd tibi noluerim decedere: rustica ne sim
Vnica tu fastus, Castrie, caussa mei.
Si Phebo, et Marti meruisti: dic age, quæ nam
Aequa feres ensi præmia, & æqua lyra?
Lauro bellator, lauro donabere vates.
Hæc fuit, hæc fastus, Castrie, caussa mei.




FELICISSIMIS, AC MOX FOECVNDIS HYMENÆIS.

GEMINVM ANAGRAMMA.

Dominus Petrus Ferdinandus à Castro Comes Lemensium, Prorex Neapolitanorum.

ANAGRAMMA I.

Præfuturus eris carus Mundo, emittes non senex prolem Poli domino sacrandam.



Petrus Ferdinandus Castrius Comes de Lemo, et Coniux Catherinae Sandouallіae.

ANAGRAMMA II.

Nonne clarè aiunt sidera: Pietas haec mox datura est dulces filios, heroum decus.

MVSÆ E PINDO HÆC SIDERA spectantis augurium.

XXV.

IAm nunc prospicio patri dare pendula collo
Brachia, iam paruum ludere Castriaden.
Excidat ex animo pomi, Saturnia, iudex,
Formam ausus Cypriæ posthabuiße tuam.
Huc festina veni; neu te vis alta doloris
Lucinæ proprias tardet inire vices.
*Aurea poma cupis? dabit infans: * sena coruscant.*
Quæ dare non potuit Iuppiter, ille potest.

* Alludit ad sex gentilitios orbes, qui poma aurea esse finguntur.

QVIA SIDERVM NON NVNQVAM fallax oraculum: infœcunditas, si perstiterit, laudi tribuitur.

XXVI.

PIgnore cur nullo de te natura recepto,
Aeternat tanti nomina magna patris?
An quia dum vires in te vno prodidit omnes,
Desperat natum fingere poße parem?
An quia si Phœnix vni vnica sufficit Orbi,
Nascitur et flammis altera, & interitu;
Ipse tibi famam flamma meliore recludes,
Equè tuo surget gloria nata rogo?
Nunc dum prole cares, viuis velut vnica Phœnix.
Phœnices tellus non habet vna duas.

I N-

INDIARVM PRAESIDI.

Emblema.

MEMNON MARMOREVS AD SOLEM Orientem conuersus.

XXVII.

CReditus ille, nigro spirat qui marmore, Memnon
Oraq; ad Eoæ regna parentis habet,
Soluere marmoream Phœbi ad præconia linguam,
Sensit vt ab radijs icta labella nouis.
Fulsit at Eoo tua lux vbi, Castrie; maior
Obtigit ò quantò gloria, maior honos.
Auroræ Phœbo cecinit si filius: ipsa est
Aurora in laudes facta canora tuas.

SEX IN GENTILITIO STEMMATE orbes eius se se Imperio despondent.

XXVIII.

ORbes sexgemini, quos stemmate condis, ituros
Sexgeminos Orbes sub tua iura monent.
Ille tuos nutus, te Præside, sensit heriles,
Gangetis tepidas qui bibit Orbis aquas.
In patriam, Italiæ iam præsessurus, abito:
Ibit et ad nutus Italis ora tuos.

Quas:

Quattuor at superant in stemmate: dic vbi? quales?
Quis dabit hos sceptro posse subire tuo?
Viue diu proauis mihi Regibus edite Castri:
Arbitrio fingent hos quoque fata tuo.

IDEM ARGVMENTVM.

XXIX.

S*Ex geminos par stemma tibi complectitur Orbes:*
Orbe super rutilo picta corona micat.
Regales notat illa vices, subeundaq; regni
Munera: sex hi sunt, quas moderere, plagæ.
Tolle animos, Orbem imperio cum rexeris vnum,
Castrie, quinque etiam, quos moderere, manent.

EIVS ANIMO VNIVS ORBIS Imperium impar.

XXX.

R*Egia te sedes aluit, Gallæcia gignit,*
Natalesque tuos gaudet habere dies.
Parthenope fruitur duce te: nunc Itala tellus
Nec simili poterat, nec meliore frui.
Vrbibus haud mirum tantis si funditur, vna
Non potis est Petri claudier vrbe decus.
Quin alio sub Sole vstos excurrit ad Indos;
Vt nouus absentem sentiat Orbis opem.
Vnius hoc nomen non cingit terminus Orbis,

Facta nec illa vnus cernere Apollo potest.
Latus hic est Orbis, quam longe est dissitus alter!
Petre, tamen decus est maius vtroq; tuum.

INDIARVM OPES NIL eius animum inflexerunt.

XXXI.

EXtremos hominum Garamantas, et vltima Bactra,
Dum Madritana Petrus ab arce regit:
Illum non capiunt aurati munera Gangis,
Non quæ gemmifero parturit vnda sinu.
Quæque in Erythræi gremio nant gurgitis, & quas
Occulit amne metu pallidus Indus opes.
Nunc age, nil auro metuas: Sol Castrius alter
Diuitias nutrit, non rapit, Inde, tuas.

IVSTISSIMO NEAPOLITANI REGNI MODERATORI.

Emblema.

CIRCINVS PER ORBIS POLOS pedem alterum circumuoluens.

XXXII.

MIraris, pede cur gemino versatilis ambos
Metitur paruo circinus orbe Polos?

Ne

Ne mirere: Polos metitis tu quoque, Castri,
Hesperios inter non leue nomen auos.
Rexisti Eoum: Hesperij cape Solis habenas.
Pareat imperijs axis vterque tuis.

PRINCIPATVM IN HOC regimine obtinet Pietas.

XXXIII.

QVòd patrios Regum ducas ab origine fasces:
Non tua, Fernande, est gloria, sed proauum.
Parthenopes quòd fræna regas: fortuna merentem
Iuuit, & in partem nominis illa venit.
Quod sapis, hoc Hermetis habes: quòd carmina pangis,
Hæc quoq; Apollineæ laurea danda chely.
Docta Minerua togam sibi vendicat: arma Gradiuus.
Castrie, quòd pius es, gloria tota tua est.

VIRTVTVM OMNIVM LAVDE instructus, & ad Imperia natus.

XXXIV.


ORa tibi Phœbum, spirant præcordia Martem:
Ludit in alterutro lumine casta Themis.
Perstrepuit tuba? terrificas. lyra? pellicis hostem:
Et strepitu ille tubæ gaudet, & ille lyræ.
Das iura, & regni Princeps moderaris habenas?
Sæpe parens Themidis, sæpe videre cliens.

*Hinc tibi Musæi sublata ad sidera moles,
Ductaq; ab igniuomo Castrias vnda iugo.
Hinc geminas hauris graueolenti humore paludes:
Hinc noua constituis iura, vetusta nouas.
O natum heroa Imperijs. tu maximus ante-
Ire homines factis, laudibus ire Deos.

*Respexit ad nouum artium domicilium, quod excitauit. Ad fluuium, quem ad radices Vesuuij montis nuper inuentum, ad publicos vrbis vsus perduxit. Ad paludes exiccatas. Ad noua Regni iura, quorum multa condidit, pleraq; iam abrogata restaurauit.

Emblema
CHAOS, VNDE ELEMENTORVM semina digerantur.
XXXV.

*CErnis vt indiscreta Chao noua semina surgant,
Vicinamque tremens horreat ignis aquam:
Sed natura parens reuoluta volumina rerum
Explicat, inq; suis digerit apta locis.
Tum verò elucet Mundi spectabilis ordo;
Terram vnda, vndam aër, aëra flamma propè est.
Parthenope rerum rudis, indigestaq; moles
Si fuit imperio credita, Petre, tuo;
Omnia, quæ permixta prius, nunc lege sua stant,
Et discreta suas obtinuere domos;
Sique voluta Chaos senserunt secula priscum,
Nostra etiam priscum secla tulere Iouem.*



PACIS ALVMNVS CÆLO IAM pridem debitus.

XXXVI.

IAm pridem nobis Cæli te regia, PETRE,
Inuidet, & magnis nutibus astra vocant.
Iamq; tibi statuere locum, quà lucis inane
Panditur & Chelas inter, & Erigonen.
Interea terris Italum rege, teque sequestro
Alma subalpinis Pax fuget arma iugis.
Tum Cælo succede: patet via lactea Cælo,
Lactea sub quo iam Principe secla fluunt.

VIRTVTVM VNVS EXEMPLAR omnium.

XXXVII.

INclyte Castriade, Regum genus, ò nouus Orbis.
Lucifer, & nostræ mutuus vrbis amor,
Tu gentis decus omne tuæ: te Principe Siren,
Præside te tumidis gaudet Iberus aquis.
Hermetem tu voce sonas: tu carmine Phœbum,
Gradiuumque manu, Pallada mente refers.
Ora Charis, Pax dextram ambit, Themis æqua sinistram:
Præ Honor it: sequitur Gloria: stipat Amor.
Et potuit quisquam hæc, Superi, sibi dona mereri?
Ni tu solus eras Castrie, nullus erat.

Emblema.

PHAETON SOLARIS AVRIGA CVRRVS.

XXXVIII.

QVid patrium, male caute, regis per inania currum?
Ah nimis expertas exigit ille manus.
Siste: sat indultum, Phaëton, puerilibus ausis.
Ah miser, & medio mox tumulande Pado.
Tu, quem certa tenet virtus, Fernande, regendi,
Si piget hic homines; i, moderare Deos.
Nec, si Solis ages currus, male lora remittes;
Tàm benè qui populos, quàm benè flectet equos?

GENTILITIA LILIA A MVNERVM sordibus immunes manus desigant.

XXXIX.

Lilia ne aspicio gentili in stemmatis orbe?
Est niueus ne animi candor, an ille manus?
Parthenope, quid non sperandum hoc Principe! candent
Lilia? sic animum, sic habet ille manus.

REGIVM ÆRARIVM AD PRISTINAM fidem restituit.

XXXX.

INclusam Danaën dum turris ahenea seruat:
(Græcia ni vanis lusit imaginibus)

Iup-

Iupp iter in pluuium labens se se induit aurum,
Aureus & tota funditur arce liquor.
Regalem ne vides, Fernando Principe, gazam
Antiquam Regi restituisse fidem?
Forsan et huc aliquis Cælo Deus intulit aurum:
Hac virtus Danaë pulchrior arce latet.

SENATVM, AC CVRIAM ad pristinam normam reuocauit.

XXXXI.

AEquato dubias librasse examine lances,
Iurgia ventosi conciliasse fori:
Ad veterem patres normam formasse togatos,
Quæque tenet priscum Curia adaucta decus;
Imperij hæc monumenta tui, sate sanguine Regum
Petre, Pyrenæi gloria prima iugi.
Quin Astræa tuo si munere cessit ab astris,
Maxima sunt Castris astra minora tuis.

EXTORRIS ASTRÆÆ REDITVS spem fecit.

XXXXII.

CVm populis das iura tuo pro Rege subactis,
Castriade, Hispani gloria prima soli:
Consequitur ius quisque suum: trutina omnibus æqua est:
Nil animis odium, nil potis ira tuis.

Nec

Nec mora: diffugiunt fraudes, fugit improba longe
Gratia: fine regis fasque, nefasque suo.
Pulsa Themis tanto primùm letata nepote,
Aethere de summo sic mihi visa loqui:
Non leuis à tali mihi gloria surgit alumno,
Ipsa ego Fernando sospite sospes ero.
Extorrem si me terris fecere nocentes:
Tu potes in terras me reuocare cliens.

FORTISSIMO DVCI

DE RECENSITO EQVITATV.

XXXXIII.

AEneus insultat sonipes dum plurimus agris,
Aeneaq; hastato milite sylua fremit:
Parthenope gaudet studijs excita videndi
Ire per amotas agmina mille fores.
Castric, sic furit innocuus, te Principe, miles,
Ipsaq; te discunt ludere bella Duce.

QVOD PALLADEM ARMATAM REFERAT.

XXXXIV.

QVàm tua, Petre, micat medijs sapientia in armis?
Quàm micat in studijs bellica fama tuis?

Te

Te duce, nemo vnquam ſapientius horrida vidit
Arma geri, & clari militis agmen agi.
Quin etiam in pugnas quis fortius iſſe Mineruam
Spectauit, quàm cum te tulit illa ducem?
Quis neget imperio natum, qui robore Martis
Pacem alit, & bellum Palladis arte gerit?

DE GENTILITII CASTRI munimine.

XXXXV.

QVid, Fernande, tui deſignant ſtemmatis orbes?
Eſt Mundi, eſt Cœli qui putet eſſe globos.
Caſtra magis credam: cauſam ſi quærere fas eſt:
Vt reor, e caſtris, Caſtrie, nomen habes.
Tolle togata animos mihi, Siren, tolle ſagata,
Inclyta ſi tanti caſtra ſequare ducis.
Inſtar & ò quantum, quantum tutamen in illis!
Nam timet hæc Mauors caſtra, Minerua colit.

IDEM ARGVMENTVM.

XXXXVI.

CAſtra ſonant, Fernande, tuum laudabile nomen.
Dic age, num vitijs caſtra inimica paras?
Anne tuis animis latè tentoria fixit,
Quæ Dea ab armato vertice nata Iouis?
An circum Pietas inuicto hoc aggere ſepta

Negligit hostiles undique tuta minas?
Quidquid id est. Arx Austriacis tutissima regnis
Hæc ideo, Castri nomen, & omen habes.

Emblema.

DIOMEDES QVI PALLADIS OPE
Martem sauciat.

XXXXVII.

PAlladis auctus ope, & cæso sibi Marte, trophæa
Tydides Phrygio victor ab hoste tulit.
Si tibi Pallas adest, Mars ipse secundus in armis,
Atque utriusq; potes solus obire vices,
Regibus ò genite, & Reges geniture, quid optas
Plura? togatus habes regna, sagatus habes.

SOLO HOSTEM TERRORE ABEGIT.

XXXXVIII.

QVi rem Romanam, Pœno turbante, morando
Rettulit in melius, Maximus ille fuit.
**At solo armorum sonitu qui terruit hostem*
Indomitum, pepulit qui sine Marte Scytham,
Ire supra Fabij par est præconia: quòd si
Maximus is, quo te nomine fama canat?

*Eo nempe Pri[illegible]e, Turcæ orã omnem maritimamq; classis excursionibus sæpe infestam, ac piratarum latroci[illegible]s appetit[illegible] ne tetigerunt quidem.

BELLI SIMVLACRIS MARTI PRÆLVSIT.

XXXXIX.

ASpice, ut in medijs placidus Mars gestiat armis:
Aspice, pacato fulmine ut æra tonent.
Alta coruscantis mirata Neapolis enses
Militis, auratas exarat ungue genas.
*Ast ubi bellantes choreas agitare phalanges
Aspicit, & funem ducere Pallada, ait:
Castra meo Castro cedas Romane: Sabinos
Ipse choros armis, hic agit arma choris.

*Nam quadie recensuit equitatũ; in equestris prælij simulacro cum omni pæne nobilitate versatus est.

NOVAS AD MILITIS COMMEATVM fornaces construxit.

L.

PRæside te, dum, Petre, nouis inclusa caminis
Militibus Cereris flamma ministrat opes:
Vulcanum posthac Marti quis dixerit hostem,
Quem noua in aeratas induit arte plagas?
Hic si flamma fero seruit Vulcania Marti,
Nunc te, Petre, nouum sensit uterque Iouem.

IDEM ARGVMENTVM.

LI.

PLurima quæ fornax Cereri constructa coquendæ est,
Militis in longas igne domanda dapes;
Bellonæ te, Castre, canit, te Martis alumnum:

E Su-

Suscitat has tanti nominis aura faces.
Quæque sonant rutilæ flamma eluctante fauillæ,
Non nisi te festo murmure, Petre, sonant.
Quid vobis, quid non audendum carmine, vates?
Fama silere potest, est vbi flamma loquax?

Aquam Castriam vocat, qđ eius auspicijs & ad radices Vesuuij montis reperta, & magno vrbis commodo perducta sit.

AQVAE CASTRIAE PERDVCTORI.

QVOD IVXTA VESVVII RADICES eruperit.

L I I.

FLuxe iubet gelidis Princeps te Castrius vndis,
Soluis & antiquæ damna, Veseue, facis.
It nouus humor, honosque inter stat Castrius amnem,
Vbere fontis honos viuit, honore latex.
Vlla per extentum ne gloria floreat æuum,
Ista mori proprias si potis inter aquas.

IDEM ARGVMENTVM.

L I I I.

VNda olim igniferi flammis absumpta Veseui
Surgit ab ardenti iam rediuiua rogo.
Quæq; , Tito regnante, ignoto fluxerat amni;
Nobile, Castriade Principe, nomen habet.
Vnda ter ò felix, nullos moritura per annos;

Sic te damna, alijs, quæ nocuere, iuuant.
Ni longo haud vlli latuisses nobilis æuo,
Tam clarum haud poteras exeruisse caput.

Emblema.

PEGASVS FONTEM VNGVLA EFFODIENS

L I V.

QVi modò belligeri iuuenis per nubila corpus
Vexerat, in sacro vertice figit iter.
Atque ibi crebra ferit terram dum feruidus æstro:
Illius irriguas vngula fodit aquas.
Fontem Musa probat: fert ales præmia Cælum
Pegasus, auratis & micat vsq; iubis.
Ecce nouos latices, quorum per pocula vates
Fluminis auctorem concinuisse iuuat.
Addere se potuit sonipes fulgentibus astris,
Quid ni, Petre, inter sidera sidus abis?

ÆTERNVM HVIC AQVÆ NOMEN.

L V.

POrticibus quæ inuecta tuis noua lympha triumphat,
Castrie dux, olim Castria Naias erit.
Hæc serum factura gradum per secla nepotum
Laudi aperit viuax altera secla tuæ.
Neue dehinc dubita, Fernande, fugacibus vndis
Fidere. scit longùm viuere nomen aquis.

Icarus Icario æternùm viget æquore, & Helles
Hellespontiaco in marmore viuit honos.
Ergo age Castriadum scribantur nomina fonti:
Sit licet vnda fugax, fama perennis erit.

CVR AVREAM ARENAM NON deuehat.

L V I.

AVspice te, Eubœas properat Sirenis ad arces
Vesuia decliui lympha supercilio.
Illa per irriguos dubio pede lubrica saltus
Labitur intacto concolor vsque vitro.
Quid non flauenti potius sordescit ab auro?
Vnda, reor, mores est imitata tuos.

CVR EX IGNIVOMO MONTE scatuerit.

L V I I.

VEsbius euomuit flammas, longeque remotas
Olim accensurus terruit igne plagas.
Mira fides, iam Castriadæ vi flamma quiescit,
Castriaq; è medijs ignibus vnda salit.
Vis insueta homini; quam si tibi fata dederunt,
Te mihi nunc liceat dicere Semideum.

Idem

IDEM ARGVMENTVM.

L V I I I.

VEsbius ignitos solitus torquere molares,
Atq; liquefactis condere prata iugis:
Auspice nunc Castro Lenæos eijcit ignes,
Eq; liquefactis montibus humor abit.
Quis te, Bacche, neget puerum vixisse sub vndis?
Fabula vera: inter surgit Iacchus aquas.

IDEM

L I X.

LArgius exundat geniali Vesbius igne:
Nec perimit flammas vnda, nec ignis aquam.
Fœdera lege tua potis es noua condere: miti
Dissona, lege tua, nectere pace potis.

IDEM.

L X.

TE duce quà rumpunt alto de vertice flammæ
Nunc liquida è terræ viscere lympha fluit.
Forte noua euersa iunxerunt fœdera lege
Numina, quæ magnum te statuere Iouem.

IDEM.

L X I.

PRima graues est passa metus contermina Siren,
Cum rupto infecit Ve[illegible]us igne diem.

At

At nunc Fernando primùm sub Principe dulces
Illa eadem è medijs ignibus hausit aquas.
Quàm benè! sic quondam, Saturno rege, liquentes
Protinus è flamma desiluistis aquæ.
Sume animos, Siren, vndas si flamma ministrat:
Quis scit, an & quercus roscida mella ferant?

CASTRIO AQVÆ HVIVS GRATIÆ.

L X I I.

C*Astriadæ imperio cæcis eductus ab antris*
Liber Campanos metior amnis agros.
Par equidem est, tanti pereat ne gratia facti,
Nec mea Lethaeas lympha imitetur aquas:
Viuat in argento nostræ iam Castrius vndæ,
Marmoris aut subeat munere lympha fugax.
Vosq; auræ quæcumque meo spirabitis alueo,
Vocales tanti nominis este tubæ.

CASTRIVM HVIC AQVÆ NOMEN.

L X I I I.

F*Ortunate liquor, plausu qui Castrius Vrbis*
Diceris, è Castro Principe nomen habes.
O quam nunc fluxisse velit sine nomine Nilus,
Et caput auspicijs exeruisse tuis.
Occule, Nile, caput: fons Castrius exerat. ortum
Ipse tuum nesci; nesciat ille obitum.

AQVA CASTRIA AMORIS ALTRIX.

L X I V.

CAstria quid speret sibi lympha? extinguere flammam
Anne meam, anne tuas pellere corde faces?
An magis arcani latices imitata Selemni,
Sanare accensum quodquod amore iecur?
Auguror. illa tuos nunquam restinguet amores,
Et me Castriadæ coget ab igne mori.

EX AQVA CASTRIA VBERTAS.

L X V.

QVòd tibi post latices, quos prodidit ora Vesèui,
Perpetuo, Siren, vere renidet ager:
Diues inexhausto quòd fœtu exuberat annus,
Et grauat insueto pondere rura seges:
Publica quòd nimiæ laxant æraria gazæ,
Plurima et aggestas arca recondit opes:
Desine mirari, tot quæ tibi detulit vnda
Munera, Castriadæ Principis vnda fuit.

IDEM ARGVMENTVM.

L X V I.

QVas medio miraris aquas rupisse Vesèuo,
Parthenope: occidui flumina crede Tagi.
Aurum vtrinq; legunt Campanus, Iberus. arenis

Quod legit hic; molita de Cerere ille legit.
Tu dare, Castriade, potis hæc miracla; Tagumq;
Transferre Hesperijs tu potis vne plagis.
En etiam, nostra vt primùm penetralia tangis,
Trans ipsum Aonijs fers Helicona iugis.

IDEM.
LXVII.

ASsiduo quamuis Aegyptus Sole dehiscat,
Nec madeat molli languida rore seges:
Se tamen vt Nili plenis caput extulit antris,
Et septemgeminæ vix patuere fores;
Gaudet humus, partuque hilari se gleba resoluit,
Pictaque Sidonius gramina pingit honos.
Ilicet et nostris quà collibus vnda pererrat
Castria, fertq; suum nota per arua pedem:
Nilus adest melior; Castri fluit vndiquè victrix
Lympha: pudens iterum iam tege, Nile, caput.

AQVA CASTRIA PETRVM
abeuntem prosequitur.
LXVIII.

ET noua quæ riuo tibi soluitur vnda perenni
Castrie, qui leni voluitur amnis aqua,
Te procul ad fines hinc vsque sequetur Iberos,
Et medijs cæcum fluctibus abdet iter.
Subter vti quondam fluctus illapsa Sicanos,
Egit inaccessas Ælidis vnda vias.

I celer, i, flentis surget Sirenis ab imbre
Castriade nobis fons abeunte nouus?

AQVÆ CASTRIAE EX PETRI discessu gemitus.

LXIX.

VBerior, puraq; latex argenteus vnda,
Quaeq; nouo viuæ fonte cientur aquæ,
Immunes ibunt ab inerti, Petre, veterno,
Non procul hinc viuo dum dabis amne frui.
At simul hinc aberis, latices ne rere perennes,
Et sine te dum vis viuere, rere mori.

QVOD EXICCATIS PALVDIBVS GRAVIOR hausta mephitis.

LXX.

QVæ stagnata prius, limoq; obsessa palustri
Vnda veternoso sederat alta solo:
Te monstrante viam, patrijs decedere campis
Cæpit, & ignoto ferre tributa mari.
Quin duce te fugiat nostris ignauia terris,
Si pigra te didicit currere lympha duce?

Geminas paludes, Mofetam, & Gorgonē, quæ regnum pæne vniuersum tabe, ac sterilitate vastauerant, in mare dimissas exiccauit, cāposq; diu stagnantes cœli salubritate, soli vbertate donauit.

IDEM ARGVMENTVM.

LXXI.

HAlabat taetram quæ stagnans vnda mephitim,
Et grauia obsessis bella ciebat agris:

F Im-

Imperijs modò, Petre, tuis emota cucurrit,
Et trepidum potuit ferre per arua pedem.
Discessure times pelagi quid, Magne, procellas,
Arbitrio si nunc fluctuat vnda tuo?

PETRI CVM HERCVLE COMPARATIO.

L X X I I.

FAma est Alciden hidram domuisse nocentem,
Nec non Lernæos restituisse lacus.
Hactenus Alcidæ memorent per bella labores:
Maius ab Hesperio nascitur orbe decus.
Tu Fernande biceps mittis sub tartara monstrum:
Per te Castriades ore bibuntur aquæ.
Scilicet armatus monstrum domat ille: sed ipse
Herculeum superas victor inermis opus.

QVOD IN LVCVLLIANO LITTORE aquæ dulces excitatæ.

L X X I I I.

DOris amara fluit Luculli in littore dulcis,
Sub tua (quid mirum?) Castrie iura fluit.
Et mihi proh quantis humescunt imbribus ora!
Dum sine te tueor hæc monumenta fore.
Attamen in dulci glomerantur gurgite fletus:
Nec mirum, dulcis si fluit vnda maris.

POETÆ AQVÆ CASTRIÆ CYCNI.

L X X I V.

VNda, Castriades unda, quas Vesbius hospes
Dicitur ardenti continuisse sinu,
Dicite, sic vestris leuis adstrepat aura cachinnis,
Ecquis in herboso margine cantet olor?
Ponite nos ripæ cycnos. num creditis ora
Dissona? dat Virtus Castria dulce melos.

SAPIENTIAE INSTAVRATORI.

DE MVSAEO NVPER ERECTO.

L X X V.

QVam cerno, Superi, molem? quis Dædalus auctor?
An quisquam insueta condidit arte Deus?
Fallimur: hæc Orbi miracula Castrias addit
Dextera, iam priscis æmula facta Deis.
Prodigiosa nimis mihi dextera! ni tibi surgat;
Palladis hoc tantum credo fuisset opus.

IDEM ARGVMENTVM.

L X X V I.

NVnc ubi stant sacræ Diuæ Tritonidis arces,
Et feruent ludis otia Palladijs:

Hic ſacra quadrupedum pubes * *ſtabulata Gradiuo eſt,*
Magnanimi ductrix martia ad arma viri.
Quiſque ſibi cingat frondenti tempora oliua,
Paciferæ regimur Palladis imperio.

* Nam deſcriptũolim alendis eqs atrium, erudiendis ingenijs deſtinauit, ibiq; Muſæum excitauit.

IDEM

LXXVII.

HOc vbi conſpexit Tritonia Diua Lycæum,
Quod, Fernande, tuo ſurgit ab imperio:
Has læto traxiſſe reor de pectore voces.
Cui noua conſurgunt dedita templa Deo?
Dilapſæ redeunt iterum, mea regna, Mycenæ,
Et me iterum terras incoluiſſe iuuat.
Has colit ò felix quiſquis, te Principe ſedes,
Quæ Superos cogunt deſeruiſſe ſuas.

IDEM.

LXXVIII.

NE mihi Laomedon faſtu ſe iactet inani,
Quòd ſteterit gemino condita Troia Deo.
Maius opus ſibi Pallas habet, quod Caſtrius heros
Ardua pollenti duxit ad aſtra manu.
Hæc mihi Caſtriados placeant miracula dextræ,
Hoc ſibi Parthenope garrula iactet opus.
Nempe ego, quàm facili moliri Pergama dextra,
Crediderim mallent hoc potuiſſe Dei.

Idem

IDEM.

Emblema.

OLEA, QVAE CONFLAGRANTIBVS Athenis illæsa permansit.

LXXIX.

INderet actæis Pallas cùm nomen Athenis:
Est olea è trunco surgere visa nouo.
Illa eadem, cum forte vrbem percurreret ignis,
Seruauit virides nil timerata comas.
O quàm æterna magis tua surgunt, Petre, Lycæa,
Illa vel in medijs viuere nata rogis.
Rursus & in flammas abeat si Vesbius: arces,
Rursus & ipsa suas Pallas ab igne teget.

AMPHIONIS CVM PETRO COLLATIO.

Emblema.

AMPHION THEBARVM MOENIA cantu erigens.

LXXX.

COnderet vt Thebis Amphion mœnia; saxa
Dicitur ad pulsam conciliasse lyram.
Musarum dum, Petre, chorum Phoebo auspice ducis,
Qualia non tollunt celsa Lycæa caput!
Tange lyram vlterius, Castri; linquentia Pindum
Parthenopen condent eruta saxa nouam.

Mu-


LXXXI.

Calliope blanda compellans voce sorores,
Dulcia dum solito carmina more canunt,
Quid prodest, ait, antiquos conscendere montes?
Quid capiunt tantùm rustica tesqua Deas?
En Petrus illustres nobis modo condidit arces:
Non erit vnius Palladis arcis honor.
Si quis aquæ vos tangit amor; quàm digna sitiris
diluat ore *Castrias! illa recens diluat ore sitim.*
Assensere Deæ. quid gaudia, Petre, moraris?
Iam ter terna tuum Musa Helicona colit.

PERVETVS NEPTVNVM INTER, AC Palladem in Musæi substructione duellum repræsentatur.

LXXXII.

Rursus & illustres Orbi rediistis Athenæ:
Lis inter geminos rursus & orta Deos.
Nam tibi, quà generi sedes extabat equino,
Surgere Castriades docta Lycæa iubet.
Prisca (quid indubitas?) rediere. infensa coëgit
Neptunum expulsis cedere Pallas equis.



DE MARMOREO EQVO, QVI SVPER MVSAEI LIMEN adhuc cernitur.

LXXXIII.

Fallor an hoc, olim hospitio quod cœpit equorum
Crescere, Musæum Palladi creuit opus?
At quid adhuc foribus viuo de marmore spirat,
Num Diuæ excubitor limina seruat equus?
Pegasus hic certe nouus est. viden! effluit amnis
Castriüs vberibus, mœnia propter, aquis.
Alæ vbi sunt? alis geminos equus exuit armos:
Ne queat has posthac deseruisse domos.

DISCESSVM IN HISPANIAS MEDITANTI.

SIDERA DISCESSVRVM PETRVM remorari debent.

LXXXIV.

Nullane sit cælo, longos quæ, Castrie, in annos
Differat abscessum stella secunda tuum?
Nunc, ò nunc nequeat, quem discessure moraris,
Te mihi rapturos pellere Phœbus equos.
*Nunc, illum hospitio * Taurus qui detinet, aureo*
Impediat limen vecte, viamque neget.

* Ineunte quippe Maio, qua anni tempestate Sol est in Tauro, Collegium nostrum inuisit.

Hei

Hei mihi, quòd Tyrio spes irrita fidere Tauro est,
Qui rapit Europam; ten vetet ille rapi?

Emblema

SIREN SCOPVLO INNIXA.

LXXXV.

ILla ego Parthenope Siculi maris vna sororum,
Phœbeas docilis voce praire lyras,
Detinui cantu mortales. vnus Vlysses
Dulcia dum vitat vincula, quàm dolui!
Neue diu possem tales sentire dolores,
Aequoreis volui fluctibus esse lapis.
Attamen & potui lapis hac te in sede morari:
Castrie quid facerem, si mihi vita foret?
Proh dolor: heu raperis: laceror quoque saxea duro
Sensu. quid facerem, si mihi sensus erat?

DISCESSVRO AEQVOR, CYMBAM, ventos apparat.

LXXXVI.

SIste ratem: properas cur, ah mea vita, per vndas:
Siste, quid ah nostri pectoris hospes abis?
Si te tanta tenet Tyrrhena per alta cupido
Currere, & infidos sollicitare Notos:
Cymba cor, aequor erunt lacrymæ, suspiria flatus:
Ire per has poteris, Castrie Tiphys, aquas.

Abeun-

ABEVNTE PETRO VER ETIAM ABIBIT.

LXXXVII.

CVi rediuiua nouos submittit terra colores?
Cui retegit tantas florifer annus opes?
Castriadæ magno telluris numina credam
Veris odoratos explicuisse sinus.
Verùm omnis languescet honos: & mox tua secum
Lilia perpetuum ver abitura ferent.

HISPANIA PETRI DESIDERIO TENETVR.

LXXXVIII.

AVriferos secum fluctus euoluere Iberum,
Est ad Musarum fabula ficta iocos.
Cur igitur pallet, fuluo nisi pallet ab auro?
Quem cupit heroem cernere, Petrus abest.

SIREN

ABEVNTE PETRO NAVFRAGIVM sibi timet.

LXXXIX.

CVm fera cæruleis tempestas incubat vndis,
Et nquim aduersus concitat Eurus aquas:
Si simul effulgent summo de vertice puppis
Candida Lædæa sidera iuncta face;
Procumbunt fluctus, placidi secat æquora ponti,

Quæ maris occurſu naufraga puppis erat.
Caſtriadum ſidus geminum, per te excita noſtri
Cordis tuta forent æquora, ſi qua forent.
At raperis, gemituſq; vrgent è pectore fletum,
Vt noſtra incerto fluctuet amne ratis.

EADEM PETRI REDITVM AVGVRATVR. LXXXX.

CYnthius ætherij curſum ſi nocte laboris
Conficit: haud feſſos axe remittit equos.
It luſtraturus ſimili noua regna recurſu;
Mox, quæ deſtituit, rurſus in aſtra redit.
Tu quoque Parthenopes cœptum, Fernande, laborem
Soluis, & Hiſpanas pergis inire vices.
Durat opus: te poſcit Iber. vbi rexeris illac,
Quis ſcit, an hæc parili mœnia ſorte regas?

VESPERO COMPARATVR. LXXXXI.

QVà ſubit Oceano Phœbus, Phœbumq; ſatelles
Proſequitur curſu perpete Veſper herum:
Hic etiam Auſtriades famulo iubar exerit Orbi,
Et regit imperijs aſtra minora ſuis.
I Petre, i Veſper; regales viſe penates.
Veſperis eſt, iuxta Solis adeſſe iubar.

De

DE CASTRIAE FAMILIAE LILIIS.

LXXXXII.

INdigenæ fontes, & nati fontibus amnes,
Et Sebethe minor fletibus aucte meis,
Lilia cur vestris sinitis decedere campis,
Lilia Sithonia candidiora niue,
Lilia non vllis vnquam violanda pruinis,
Lilia non vllis sollicitanda Notis.
Auguror. hæc vestris dum stabunt lilia ripis,
Hauriet haud tenues sirius ignis aquas.
Castria Phœbus amat, Si lilia: mitius vret, si lilia:
Castria ne lædat lilia, Phœbus agros.

SIREN CANTV PETRVM REMORARI conatur.

LXXXXIII.

IPsa licet rursum te poscat Ibera Pyrene,
Lilia de pratis questa abijsse suis,
Ipse licet Solis comes Hesperus igne loquaci
Annuat, & toto te vocet amne Tagus:
Ah ne temne preces, tibi quas mæstissima Siren
Fundit in æquoreis mox tumulanda vadis,
Cedite, ait, lachrymæ citharis vocalibus: & te
Quo nequij Graios carmine, Petre morer.
Sortiar auersum non carmine rursus Vlyssem:
Carmine, Petre, tibi est gloria prima capi.

IMPERIVM ILLI CVM NEPTVNO commune statuitur.

LXXXXIV.

SPumea qui sortis moderaris regna secundæ,
Rex gregis æquorei, Nereidumq; parens,
Hac iuuet imperio tenus indulsisse marino,
Hac iuuet Oceano iura dedisse tenus:
Soluet ab Ausonijs Heros cras maximus oris:
Cras trabe cæruleum diuite radet iter.
Si sapis, æquoreum Fernando cede Tridentem,
Sorte tuas abeat qui meliore vices.
Sin minus, at sortem ventosi diuide regni.
Ille regat classes, tu rege monstra maris.

SIREN LACRYMABVNDA.

LXXXXV.

QVondam Ithacum frustrà remorata, doloris ab æstu
Dicor in Ausonio contumulata salo.
Prisca fides taceat: Pindi est ea fabula: nec me
Præcipitem Siculi viderat vnda freti.
Quod doleo, nunc primum vndis (miserabile dictu)
Mergar, & emergar nullibi, mersa semel.
Si nescis, Fernandus abit. quo Principe viso
Vitam hausi, hoc cogor nunc abeunte mori.



Ea-

EADEM SIREN.

LXXXXVI.

MEntiti falsò quondam mea funera vates
Dulichio extinctam me cecinere Duci.
Me miseram, ah vereor verum ne fabula nomen
Accipiat, nostras te renuente preces:
Verte ratem ab retro: pia vertite carbasa puppim.
Sin minus, in medio marmore marmor ero.

EADEM.

LXXXXVII.

TErgemino pomo Scheneia victa Virago
Fertur ab Hippomene, Cypridis arte Deæ.
Sum multos frustrata procos, semperq; iugalis
Sum pertæsa tori fœdera Parthenope.
* Sex tua me, fateor, vicerunt poma: reliqui
Cor tibi. si longè solueris, emoriar.

*Alludit ad sex gentilitios orbes, vt etiam supra.

ABEVNTE PETRO FRANCISCI FRATRIS sibi precatur imperium.

LXXXXVIII.

GAllæci heroes, Regum genus, ite per oras,
Quà bona vos virtus, quà decora alta vocant:
Ite alacres ambo: meritis grauioribus omnis
Implendus vestris Orbis ab auspicijs.
O genus, ò terris nomen fatale regendis,

Qua

Quà cadit occumbens, quà micat orta dies.
Alter abi, quà iussa vocant mollissima Regis:
Iam praeerit regnis, Italis ora, tuis.
Hic te siste alter: rursus pro Rege sedendum
Hic tibi: lora tua rursus agenda manu.
Vrbs animos noua tolle nouos: reget aequus vterque,
Cominus hic populos, eminus ille tuos.

IDEM PARTHENOPE PRECATVR. LXXXXIX.

ME, si Petre vnquam caperent te taedia nostri,
Germano rebar pignore posse frui.
Heu miserae quantum fors aduersatur amanti!
A me tu caelo dissitus, ille freto est.
Finibus attiguam quisquis me redde Sicanis.
Quid freta, quid votis estis iniqua meis?
Si vestrum, alternis fratres regnare gemelli:
Pro Polluce, meo Castore ne carcam.

IDEM ARGVMENTVM. C.

IGnifer auriferum iubar occulit Oceano Sol:
Et nobis tenebras; lumina fert alijs.
Parthenopae proh quanta paras dispendia, Princeps!
Quanta subintrandis gaudia littoribus!
Mille hic nigranti ferrugine nubila linquis:
Illic luce noua mille trophaea vehis.

Atta-

Attamen, ah, dulcem nobis ne subtrahe fratrem.
Desere, lunari ne viduemur ope.

VESPERO, AC PHOSPHORO FRATER vterq; comparatur.

C I.

VMbrifer Hesperijs effulget Vesper in oris:
Phosphorus Eoa suscitat Orbe faces.
Tu Petre Occiduas petis oras; frater Eoas.
Alter erit Vesper: Phosphorus alter erit.

DE DISCESSV FRANCISCI DE CASTRO Fratris, Siciliæ designati Proregis.

C I I.

PAr fratri germane oras accede Triquetras,
Atq; bona felix alite sceptra cape.
Illic Aetneas fas est compescere flammas:
Si deest, inuentam dat tibi frater aquam.
Hoc sibi sperat apex. viden, vt iam incendia temnat,
Dum tibi rorantes nutrit in igne rosas!

IDEM ARGVMENTVM.

C I I I.

DIcitur Alphæi liquidos flagrantis amores
Fugisse ad Siculos lapsa Arethusa sinus.
Nec tum cessit amor: fugientem est ponè secutus
Ille per arcanas ausus adire vias.

Par-

Parce metu ſecura; tuus procul hoſtis abibit,
Cum te Caſtriades mox, Arethuſa, reget.

IDEM.

CIV.

A*Sſuetus quondam flammas ructare Veſeuus,*
Caſtriadæ imperio pro face fudit aquas.
Mox nutu ſubiecta tuo dediſcet ad aſtra
Aetna quoq; ignitos euomuiſſe globos.

IDEM.

CV.

G*Arrula cum vaſto retuliſſet fama Typhoeo,*
Te pro Rege domos tendere Sicelidas:
Dicitur hanc ſuperis ieciſſe per aëra vocem,
Qua ſtupuit, flammis dum liquat aera, Cyclops.
Si mihi Caſtriades viſendus: Iuppiter alto
Haud rerum euentus prouidet vſque Polo.
Nulla dehinc mihi pœna: nefas dehinc ore fauillas
Mittere, ſeu tremulo monte ciere latus.
Caſtriades (hæc ſumma) oris dat iura Sicanis?
Eſt mihi pro roſeo Trinacris Aetna toro.

IDEM.

CVI.

F*Ertur Eleuſini rapuiſſe per aëra natum*
Regis, ob hoſpitij munus amica Ceres.
Et poſito alitibus ſuper anguibus, i, mea terrras

In-

Instrue, ait, culto credere dona solo.
Aetnaeos sed temne apices: fuge regna Triquetrae,
Regna olim votis insidiosa meis.
At facilis iactura: alter tibi nascitur heros
** Anguibus innixus, Sicelis ora, suis.*
Maius in hoc instar quantò est, cui ponè subibit
Copia cum cornu diuite fida comes!

* Respexit ad duo draconum capita, quae sunt in gentilitio Castri stemmate.

HODIERNO MVSARVM HOSPITI. QVOD TECTA IPSA GESTIRE videantur.

C V I I.

ADuentu si tecta tuo gestire videntur
Saxea, & insuetos reddere velle sonos.
Quid? ni Musa tuas celebrasset carmine laudes;
Musa mihi saxo durior vna foret.

CVR IN DISCESSV NOS INVISAT.

C V I I I.

DVm, Petre, Italiae, ceu Sol nitidissimus, oris
Occidis, Hesperijs exoriturus agris;
Hic placuit iubar occiduum, radiosque cadentes
Condere, & his fugiens mergere lumen aquis.
Quis neget, hunc Solem nostris splendoribus ortum
Perpetua nobis velle micare face;
Si dum noctem alijs occumbens efficit, ardet
Extremo nobis lumine ferre diem?

IDEM ARGVMENTVM.

C I X.

AVreus Hesperium Titan abiturus in æquor,
Soluere anhelantes dum monet hora feros:
Aethera si nulla suffusus nube serenat,
Proxima luce redit cadidiore dies.
Petrus abit: vultuque hæc limina parua sereno
Si beat occiduus, exoriens quid erit?

QVOD NOS IN AMORIS BELLO VINCAT.

Emblema.

PARTHVS EQVES IN IPSA FVGA TELA iaciens.

C X.

CErnis, vt intento fugientia spicula neruo
Torqueat, æripedi dum sedet altus equo
Parthus hians pugnæ, victo fugitiuus ab hoste
Præliaq; aduerso Marte secunda gerat.
Petre fugis, nostroq; refers de corde trophæum:
Petre feris fugiens. Bellum in amante nouum.

QVOD IMPARES PETRO LAVDANDO simus.

C X I.

DOcta mihi dentur vatum si guttura centum,
Quo te centeno gutture Musa canat:
Deficient subito vires; labefacta cadet mens;
Ipseq; centeno gutture mutus ero.

Nec

Nec mirum. cernat centeno lumine Solem
Argus: centeno lumine cæcus erit.

AB EIVS LAVDATIONE LAVDEM aucupamur.

CXII.

SI quis honos alijs tenui se fonte propinat,
Hic tibi se toto fonte propinat honos.
O fortunatus, tua si in se lumina quisquam
Vertat, vt irriguo pascat honore animum.
Qui tactum cecinere Midæ, tua lumina cernant
Castrie: vt illo aurum, te mage spirat honor.

GEMINO FRATRI LOCVS IN COELO statuitur.

CXIII.

CAesaris vt Latius vidit decora inclyta vates:
Fatidico tales edidit ore sonos.
Scorpius in Cælo iam brachia contrahat ardens,
Indigeti vt tanto sit super astra locus.
Heroas quid si geminos vidisset Iberos,
Fatidico quales ederet ore modos!
Cedite, iam caneret, Gemini, iam cedite Cælo:
Nam locus hic alijs debitus est Geminis.

PAR IN VTROQVE FRATRE MAIESTAS.

CXIV.

SOl Geminus, Gemini felicia sydera fratres,
Vtraq; in Arctoo quæ micat Vrsa Polo,
Spargitis vnanimes geminato lumine flammas,

Et rapitis vultu corda, oculosque pari.
Et nos incerti sequimur; trahit alter, & alter:
Et prior hic cerni dignus, & ille prior.
Non alter, sed vterque prior, componite lites.
Vincere vtrumque decet: vincere vterque nequit.

CASTORI ET POLLVCI PRÆFERVNTVR.

C X V.

DEsere Tyndaridas geminos terra, æquor, Olympe.
Hos tibi ne votis expete quisq; tuis.
Tolle animos: Orbis veterem indignatus honorem
Clarius antiquo sydere sydus habes.
Cedite Tyndaridæ: Castri fas cedere et astra.
Non hic fraterno viuitur interitu.

EX GENTILITIO STEMMATE GEMINVM fratrem geminum Iouem esse conijcimus.

CXVI.

*SEx tibi sunt patrio * errones in stemmate stellæ:*
Artificis culpa Iuppiter vnius abest.
Omen habet mentis vitium. fors magnus Olympi
Iuppiter antiquo cesserit imperio.
Quam bene! vos Cælum haud poterat par nobile fratrum,
Quippe duos, vni posthabuisse Ioui.

* Alludit ad gentilitias pilas, quas fingit esse planetas seu erraticarũ stellarum Orbes.



PETRO CASTRIO EGREDIENTI ALTER IANITORIS LVSVS.

CXVII.

HOspite Fernando tecta hæc dignata, fatere
Græcia, iam Elysio nobiliora tuo.
Heroum hoc sedes fuerat nemorosa piorum:
Heroa excepere hæc quoque tecta pium.
Illic Threicium cernebas Orphea: cernes
Mille hic ire pares Orphei, mille super.
Tu geminam Elysij reddes mea ianua portam,
Vnaq; dissimiles fers vtriusq; vices.
Hesperias exit per te laus Castria in oras?
Nimirum veros laus habet illa sonos.
Exit Castriades? hæc irrita somnia crede:
Nobiscum est; nostris non abit ille animis.



CARMINVM LIBER SECVNDVS:

ANAGRAMMATA VARIIS EXPRESSA METRIS, AC PHRENOSCHEMATA.



DON PETRVS CASTRIVS COMES LEMENSIVM.

Anagramma

I.

NON DECOR, AC SVMMVS PRÆSES ITALIÆ SVM?

NE, *Parthenope, ne tere fletu*
Lumina; quando pulcher abit honos
Tuus ille, tui Cynthius Orbis
Abit Hesperiam visurus, abit
Natale solum luce beare.
Non tamen Italas immemor oras
Deserit almæ munere lucis.
Audi. satis hoc referunt verbis
Indita nuper signa retortis.
NON DECOR, AC SVMMVS PRÆSES SVM

Ita

ITALIAE? tantùm promittit:
Et iam ſequitur nomen, & omen.
Ne Parthenope, ne tere fletu
Lumina; quando tuus afflat opes
Sol Occiduus lucis Eoæ.

PETRVS FERDINANDVS CASTRIVS COMES LEMI.


Anagramma

II.

CVSTOS, AC PRÆSES ITALORVM NE FIDE MARI.

PARTHENOPE.

Necte moras: NE FIDE MARI CVSTOS ITALORVM
AC PRAESES: *noſtram quid fugis Heſperiam?*
Parce precor, Fernande, caput committere ponto
Sæuetuum, & cor aquis fidere parce meum.
At tibi ſi famula Doris proſternitur vnda,
Et tua nauifragum Nerea tonſa regit:
Ipſa tibi tempeſtatem obijciam lacrymarum,
Quam nequeas vlla tranſilijſſe rate.



PETRVS CASTRO.

Anagramma III.

RECTVS PASTOR.

Populos nulla qui lege fouet,
Nimia populos qui lege quatit,
Fascibus impar, sceptrisque impar
Solio pulsus, trabeaque vacet.
Ille per vrbes iura subactas
Ferat, & toto dux tonet Orbe,
Recti qui adamans, mitisque simul,
Blandior idem, grauiorque bonos
Mulcere, malos terrere potis.
Cur tua subeunt iura volentes,
Vltroq; tuis parent amplæ
Legibus vrbes, seu quà eoum
Regna salum ambit, seu quà occiduæ
Patet ora faci, quaq; virenti
Littore surgens, æmulaq; Polo
Ima retractat munera Siren?
Non data lethum iura reposcunt:
Magis at lætum data iura canunt.
Non te inflatos tollere vultus
Regia cernit: magis at blando
Omnia nutu moderare videt.
Discite cuncti, necis, & vitæ

Quos cura manet. non is magnus
Diro populos qui fasce premit,
Propiore suos qui Marte quatit.
Odit sæuos turba Tyrannos:
Colit at mites humilis Reges.
Inclytus idem qui pius, ille et
RECTVS PASTOR (credite) Rector
Maximus Orbis.

DON PETRVS E CASTRO.

Anagramma

IV.

CORONÆ APTVS REDIS.

QVàm benè satum te fama iactat Regibus,
Refers qui vbique regium stirpis decus.
Lares paternos si tenes: regna obtines.
Huc tu venis si Petre: par sceptris venis.
Hic assides si Petre: par Regi assides..
Hinc Petre si redis: CORONAE APTVS REDIS.
Quàm benè satum te fama iactat Regibus!



PETRVS E CASTRO COMES LEMENSIVM.

Anagramma

V.

ECCE PORTVS, ET MENS SALVTIS MEMOR.

O Quæ colitis vada Nereides,
Aequora placidis mulcete choris,
Cantibus Euri sedate minas,
Et Parthenopes seruate decus.
En Hesperiæ decus omne plagæ
Creditur vndis, creditur Euris.
Agite Heroem stipate; Ducem
Cingite toto famulante salo.
ECCE is PORTVS Castrius, almæ
Ecce SALVTIS MENS MEMOR. ergo
Ille incolumis teneat portum.

DON PETRVS A CASTRO.

Anagramma

VI.

CONDO TE SVPER ASTRA

F Ama solet vero maior miracula rebus
Addere, sed non est laudibus æqua tuis.

Vincere nata omnes, vinci te gaudet ab vno;
Et tibì se nunquam repperit illa parem.
Iudice me, dixit, vincor: siq; inferor astris,
Sũ te, dum CONDO TE SVPER ASTRA, minor.

PETRVS COMES DE LEMO, ET FRANCISCVS DE CASTRO.

Anagramma

VII.

DECVS ECCE NEAPOLIS, FRATRES MORVM CVSTODES.

CLara quid Helenæ lumina fratres
Docto decoras, Musa, coturno?
Pollucem altis laudibus effers,
Castora cæco proripis Orco,
Ambos Cœli sidera fingis,
Fictos laudas versibus ambos:
Per te fulgent æthere vterque;
Per te alterno funere viuunt;
Partita tenent duce te regna.
Occidit vnus, nascitur alter,
Sic et regnat frater vterque,
Sic et fulget sidus vtrumque.
Huc ades alto prognata Ioue,
Arbitra Pindi, citharæq; potens

Canere heroas mitte vetustos,
Mitte vetustos celebrare duces.
Castria mundum fama pererrat:
Alij replent meritis Orbem
Gemini heroum lumina fratres;
Queis prisca olim secula nunquam
Videre pares. Tu mihi, tu horum
Mirare decus, mirare iubar.
Gemino fulgent sidere vterque:
Ambo alterno munere regnant.
Siculis alter nascitur aruis:
Hic Parthenopes occidit oris.
Orbes alio Sole calentes
Sub sua Rector iura vocare.
Age Parnassi Diua bicornis,
In Castriadum laude terendam
Instrue cantu meliore lyram.
Cane. MORVM CVSTODES FRATRES
DECVS ECCE NEAPOLIS. hoc satis est.



PE-

PETRO CASTRIO
MVSA TEMPLVM.
DD.

PETRVS PROREGE LEMENSIVM COMES:

Anagramma

V. I I I.

PERGE, AMORIS TEMPLVM NE RECVSES.

PETRVS CASTRIVS.

Anagrañma

I X.

RECVPITVS ASTRIS.

Hæc carmina ea erant arte cõscripta, vt Templi faciem præ se ferrent. In medio Templo erat Ara breuioribus longioribusue pro eius forma confecta versibus.

O Tartessiacæ Lucifer aulæ,
Germen Castriadæ nobile trunci
Petre, Austriacus quem super Atlas
Campani sub pondere Regni
Dedit Alciden, meritumq; suæ
Suffecit Sirenis habenæ;
Hæc tuæ surgat sine sacra famæ
Dædali moles operosa Templi,

Ea-

Eadem nostri pignus amoris,
Testis honoris eadem illa tui.
Par est, par equidem, heros
Præclare, multiformi
Regale dum Mineruæ
Constituis Lycæum;
Templum rependat ipsa
Cum fratre Pallas Delio.
Non hic niger Pyracmon,
Nudusue membra Brontes,
Non Steropes adustus
Exerceant lacertos.
Musarum hic labor vnus,
Vnus hic Charitum labor.
Non limen hic sub ipsum
Secta candebit Paros,
Non cæsa de Caristo,
Tænari seu de iugis
Fragmina læuiora
Cælo superba tolli,
Non sola discolori
Instrata Porphyrite,
Nec Africano valuas
Dente nitere cernes:
Magne ne Princeps tamen
Ne contemne, quòd impar
Surgit arduæ tuæ
Aedes pumila famæ.

Impar hoc etiam fouet
Cœli versile templum,
Aedes inclyta Diuum,
Noctis licet serenæ
Umbras explicet inter
Stellatumq; lacunar,
Fornicemq; adamantinum,
Et belluata sidere
Aulæa fulguranti,
Tholumq; cærulanti
Sapphyro radiantem.
At tu sis licet omni
Maior honore, par vne tibi:
Musæ tamen amplectere cultum:
Despice nec Phœbi te uenerantis opus.
Stabis hic Pindi Deus, aureumque
Vatibus pandes Helicona centum.
Tibi Cyrrhæi fontis olores,
Tibi Pimplææ Sirenes aquæ
Matutina canoræ
Soluent tributa linguæ.
Pro libamine sacro
Vatum chorus litantum,
Tibi roscida multo
Tenet carmina melle,
Melle, quod virentibus
In ripis Aganippes
Deliæ legent Apes.

Neu

Neu fabulosus vltra
Templum iactet Olympi
Iuppiter, suumq; nectar:
Nectar tibi perenne
Manabit Hippocrene,
Parnassique dulcem
Laurus ambrosiam fluent.
Pro cedro Libanitide,
Aeterna Cyparisso,
Trabibus aut Hymettijs,
Laureta fati nescia,
Minasq; nil verentia
Praetereuntis aeui
Scindi iubebit Ascrae
Flauus in trabes Deus,
Fila tum pellens lyrae
Canora temperatae;
Traxit vt rupes cithara sequaces
Ad suas quondam faber ille Thebas:
Sic summa Pindi Phoebus ab arce trahet.
Mox vbi argento paries micabit;
Sculpet aeterno tuo facta caelo
Posita cithara Phoebus eburna,
Factusq; tua pro laude Myron.
Illius positus manu
Lucis hic auras nouae,
Nouumque fuges aethera
Ostro reuinctus inter

Imagines parentum,
Et lusitans auorum
Per simulacra Regum,
Maiora mox daturus
Monstra virtutum nepos.
Hinc te sub alta docti
Ductum culmina Pindi
Inseret vatum choris,
Et Deas inter sorores
Lauro comas recinget.
Tum pulchros Hymenæos
Pompa finget Ibera,
Curruque ponet aureo
Castos inter amores
Lateri coniunctam tuo
Sandoualam puellam;
Tædas & hinc iugales
Prætendet Hesperugo.
Aurifer inde fluctu
Gratabitur superbo,
Et famulas arenas
Sponte submittet Tagus.
Dein reges nutu Nabathæa regna
Præses Auroræ, moderator Euri,
Cuiq; suas Ganges subdat, & Indus aquas.
Addet hæc inter, solidoq; in auro
Ponet Eubæo data iura regno.
Atque hic aureis Sebethon aquis


Pin-

Pinguia faciet culta ſecantem;
Hic Sirena virenti
Cinctam tempus oliua
Secla diſcentem aurea;
Illi Ceres in aruis
Auratis flaueſcet ariſtis;
Illi ferax amœnis
Pomona ſurget collibus,
Et largiore læta
Præla Lenæo fluent.
Aderit hæc inter tibi;
Et meditere quiduis,
Quiduis aggrediare,
Recti parens Virago
Aſtræa prænitebit,
Tutoſque pandet auſus.
Hinc te ſagata lauro
Pax redimita cinget;
Togatus inde Mauors
Palladia virere
Crines fronde docebit.
Mox mille turmas inter
Ludicra, te iubente,
Fingere bella promptas,
Vmbratilemq; Troiam,
O quantum radiabis
Cyllarum premens tuum
Spumeo ferum aureos

Ore mandentem lupos.
Plura quid ſequor? tuos
Cædat abſceſſus quoque;
Auſoniamque leges
Ardentem ire ſub tuas.
Sed cælum extorquet dolor,
Et mentem rapit, & manum.
Ergo diſcedes, ait,
Vultumque ſubduces tuum?
Ergone te ſub aſtra
Aemula poſcit æthra?
PERGE, et es quamuis RECVPITVS ASTRIS
TEMPLVM AMORIS NE RECVSES.
Mox maiora tibi templa dicabit Honos.

A R. A

PETRO quæ medio ſurgere Templo
Cernitur, ſtatuere Phœbus aram,
Aonideſque, Chariſque triplex.
Sanguine nunquam hic ara profuſo
Tepidos imbuet hoſtia cultros.
Reddet meritum Pallas honorem, et
Igne cor amoris ardens
Offeret olli Muſa Sacerdos.



PETRO CASTRIO
MVSA CASTRVM.
D D.



PETRVS DE CASTRO COMES.
Anagramma
X.
PERDE HOSTES O CASTRVM.

PVlchrior auratum diffundit lumen Olympus ,
Atq; nota meliora dies, meliore refulget
Alite: bacchantiq; meant noua gaudia Mundo.
En regale genus, sceptris en clarus auitis
Castrius , Hesperiæ decus immortale parentis,
Bella fugat , fugat insanas in tartara Diras.
Castra tenent vates: castris animare canoram
Incipe Phœbe lyram : fulgentibus incipe rursus
Obuia syderibus noua ducere Pergama dextra.
Virtutem fama est cœlo struxisse relicto
Vltima in Hesperia Castrum , cui mœnia circum
Ducta nitent gemmis, & sidereo adamante .
Certatim aligeri alterna statione perennes
Excubias ducunt proceres : stant agmina longè
Multa reluctantum monstrorum, ac triste frementum.
Eumenidas quondam terris errare sorores

Hi versus reddebant Castri speciem cum suis vexillis, pinnis, ac turribus circũquaq; dispositis.

Viderat exitium Pallas furiale ferentes.
Ilicet æthereas ad sidera clara cohortes
Concilium sublime vocat: coguntur in vnum
Inconcußa Fides, firmo Constantia vultu,
Et Pudor, et castè ridens formosa Iuuentas,
Atq; Amor, atq; Honor, atq; alto dilecta Tonanti
Relligio, & tardo properans Prudentia greßu.
In medio Pallas telis armata coruscat:
Hasta manu radiat: volitantes casside cristæ
Sanguineos spargunt rores: tum pectore candent
Arma medusæis circumuallata colubris.
Syderei vt steterunt Orbes, hæc vocibus orsa.
Ergo Erebum tantis miscentem fraudibus Orbem,
Omnibus et latè terris impunè furentem,
Et grauibus flagrantem odijs, patiemur inulta
Aetheriæ comites? insultantemq; Megæram
Præterea, et nostros ridentia Tænara fletus?
Indecores ergo regnis pellemur auitis
Omnibus eiectæ terris? quin nata regendo
Orbi progenies, cœli genus, arma capeße.
Ite per extremum Tanain, terrasq; repostas:
Ite per ardentem Libyam, per Susa, per Indos,
Indomitosq; Dahas, quà se Sol exerit, et quà
Mergit anhelantes Tarteßi in gurgite currus.
Nam quid ab auspicijs etiam nunc Tartara vestris
Non euersa cadunt? etiam nunc sæua Megæræ
Regna manent? etiam stygij manet aula Tyranni?
Ite, ite: infandas acies arcete Sorores.

Sunt

Sunt vobis animiq; mares, sunt fortia corda.
Nec me animi fallit. et qui Titana cadentem,
Quiq; renascentem excipiunt, iam nostra subibunt
Arbitria, & nostros mirabitur Orbis honores.
Iam video famulis Gangem mitescere ripis:
Iam video Babylona capi: Parthumq; rebellem
Collucere Poli flammis; & amoribus vri.
Vos quoque & à tanto Thraces flagrabitis igne,
Bosphoridæ, et nimio torpentes frigore Thraces,
Galliq;, Batauiq;, & inhospita littora Thules.
Hæc ait, & telum superas contorsit in auras
Principium pugnæ, sociasq; accendit ouantes:
Arma ciere parant, sæuumq; in prælia Martem
Cogere, feralesq; in Tænara pellere pestes:
Cum lacrymis suffusa Themis consurgit, et astrum
Immortale sacri capitis, lucentiaq; auro
Tempora deductis dat circumfulgere vittis.
Non matutino sic elucescit Eoo
Roranti deuecta rota Matuta, nec ignes
Sic inter radijs scintillat Luna minores.
Tum sic orsa refert. Ecquis modus? an piget hostes
Ire meos contra, turmasq; vrgere rebelles,
Et victo tandem deferre è Dite triumphos?
Est mihi bellorum decus, armorumq; perennis
Gloria, Lisiadum generoso à sanguine Regum
Progenies inuicta, Ducis dignissima cura
Austriaci, quam lapsa Polo genitricis ab aluo
Ipsa meo foui gremio: primùm ipsa niuales

De-

Deduxi per colla manus , blandoq; locaui
Sæpe sinu , rosciśq; dedi mordere labellis
Vbera : sæpe meis vlnis, colloq; pependit
Paruulus,& nostris allusit vocibus infans
Voce sua : me dante , animos virtutibus hausit
Ingentes, didicitq; vrbes frænare superbas,
Intactam seruare fidem, fraudumq; malarum
Obstructos aperire cauos,& condere pacem.
Non illum auratis vnquam deflexit arenis
Hesperij vis sacra Tagi, non vnda nitentis
Turbida Pactoli, gemma nec prodigus Hermus .
Me,me ipsam , fateor, vicit, claraq; magistram
Præcurrit pietate Deam . quid pluribus insto ?
Hunc ego, Castriacis tantùm si fiditis armis ,
Prima Madritanas deducam Regis ad arces:
Imperiumq; dabit super et Garamantas, et Indos,
Et super Ausoniæ populos Regnator Iberi,
Mollis vbi placido Sebethus gurgite pontum
Inter arenosum labentes inuehit vndas .
Assensere omnes , inuentaq; talia laudant
Cælicolæ . extemplo liquidas perlabitur oras
Parthenopen iuxta pictis argentea pennis
Erigone, cursuq; leues diuerberat auras.
Arripit hinc secreta in sede heroa morantem,
Taliaq; aggrediens immurmurat aure . Quis obstat,
Perde, HOSTES PERDE O CASTRVM *immortale , ciendi*
Prælia tempus adest: vltro (viden ?) ipsa vocat res.

Te superi quærunt vltorem : disijce dextra
Infernos inuicte globos, et prælia misce.
Rumpe moras : superi tibi militat ætheris aula :
Audaces inuade manus, et vulnera tenta:
PERDE HOSTES O CASTRVM, *& sæua incendia porta :*
Iam tibi prædico, pallentis turba Barathri,
Terga dabis, domitumq; manu lugebis Auernum.
Procumbent immixta tuis insana ruinis
Agmina, quæ tumidis Phlegethon enutrit arenis.
PERDE HOSTES O CASTRVM, *perde immania Regum*
Arma, & in aduersos ensem molire tyrannos.
I celer Hesperiam : summi pete Principis aulam :
Insere te regnis: bellis refer aspera bella
Mille per et duros enses, et mille per hastas
Miles, & insuetos Cœlo meditare triumphos.
Sic ait, & tenues volucris se condit in auras.
Aestuat indicti perculsa cupidine belli
Castria mens : subitoq; manu circundare muros
Apparat, inq; hostes ferrum meditatur, & ignes.



L CA-

CASTRI VEXILLA.

1

Vicimus acri
Agmina ferro,
Vicimus hoſtes.

2

Turribus altis
Signa procaci
Pandimus auræ.

3

Labere pernix
Acta per auras
Fama nitentes.

4

Viuida virtus
Murice claros
Pande triumphos.

CASTRI TVRRES.

1

Perde ruentes
Infera Martis
Auſa phalangas:

2

Bellica bombo
Plurima torto
Agmina rumpe.

3

Cum ſua Cœlo
Iuppiter vltor
Torquet in hoſtem
Tela Typhœum:
Quaſſa triſulco
Fulmine tellus
Gaudet in imas
Iſſe cauernas.

4

Cernis vt æthræ
Aemula turris
Arietet hoſtes:
Vindice bombo
Arceat hoſtes:
Marte coruſco
Verberat orbis
Aeneus auram.

ALIAE TVRRES.

1	2
Heu fuge Castrum	*Fidere forsan*
Perfide. cernis	*Ceperit hostis;*
Vt maris æquor	*Milite culmen*
Sanguine fuluas	*Quod vacet arcis?*
Misceat vndas?	*Falleris eheu,*
Plurima currit	*Falleris: intus*
Purpura ponto:	*Vis latet omnis.*
Nantia Prothei	*Exere miles,*
De grege monstra	*Exere vultum.*
Territa Patris	*Sæua latentis*
Cærula linquunt,	*Lux micet hastæ.*
Et pecus omne	*Exere miles,*
Diffugit alto.	*Exere vultum.*

CASTRI BASIS.

Nunc ò tenebræ noctis opacæ;
Nunc ò fugiant scelerumque lues:
Sparsa colubris cadat Alecto.
Viden, vt Castrum festa papyro
Lumina condat! viden, vt toti,
Delapsa Polo, Pax micet Orbi!
Inclusa fores bella superbos
Frustra quatiunt hospite Iano.
Meliore nitent secla metallo.

Astræa solum læta reuisit:
Lactea currunt flumina plenis
Viuida ripis: gaudia potat
Potor Iberi, potor & Hebri;
Et qui Amphrisum, Rhodanumq; bibit:
Et qui rutilis discolor vndis
Fuluas Ganges ditat arenas:
Gaudia potat toto vulsus
Orbe Britannus: quiq; cadentem
Cernit Phœbum gurgite condi
Quiq; rubentes propiore rotas
Aethere cernit.



INTER HAEC VARIAE DISPOSITÆ ERANT PER INTERVALLA PICTVRAE, CVM SVIS ELOGIIS:

Impreſias vocant. Nobis nouum hoc ingeniorum inuentum, ducto è Græcia vocabulo, Phrenoſchemata apppellare libeat.



PHRENOSCHEMA I.

Pingatur Cycnorum chorus ad Zephyrũ obuerſus.

Elogium

DVM SPIRAS, CANIMVS.

Significabatur poetas noſtros ad auram Caſtriæ humanitatis vocaliores eſſe.



PHRENOSCHEMA II.

Geminus in parelia Sol.

Elogium

ATRA IVBET GEMINARE DIEM.

Qua ſignificabaturCaſtriam maieſtatẽ in humilitatis noſtræ obiecta nube ſe ſe clarius effingere.

PHRE-

PHRENOSCHEMA
III.
Duo vniones.

Elogium

DISCRETI NVNQVAM.

Significabatur animorum in vtroque fratre concordia.



PHRENOSCHEMA
IV.
Cyrissa Cedrus, quæ, Plinio teste, fructus sine floribus emittit.

Elogium

NEC FLOS PRÆCESSIT.

Significabatur in Petro ver ipsum iuuentutis autumnasse sapientiæ fructibus.



PHRENOSCHEMA
V.
Palmæ mas, & femina.

Elogium

QVO SERIVS, FOECVNDIORES.

Significabatur prolis tarditatem maiore fœcunditate pensandam.

PHRE-

PHRENOSCHEMA.
VI.
Pingatur nouum illud perſpicilij genus,quo vel remotiſſima corpora noſtro ſubijciuntur obtutui.

Elogium
PROPE, QVÆ PROCVL.

Significabatur facilis prouidentia, qua Petrus Indicis rebus in Hiſpania præfuit.



PHRENOSCHEMA
VII.
Grus, quæ lapillo ſaburrata expeditius volat.

Elogium
DANT PONDERA VIRES.

Significabatur leue Petro eſſe cuiuſlibet regiminis pondus.



PHRENOSCHEMA.
VIII.
Sol aurum in terræ viſceribus gignens.

Elogium
PARIO, NON RAPIO.

Significabatur Petrus habere manus à muneribus alienas, ac puras.

PHRENOSCHEMA
IX.
Amnis pellucidus.

Elogium

NEQVE IPSO TVRBIDVS AVRO.
Eadem, ac ſuperior Significatio.



PHRENOSCHEMA.
X.
Caſtrum inter appetentes ventorum impetus immotum.

Elogium

VOLVVNTVR INANES.
Significabatur Petri conſtantia nunquam aduerſis caſibus deijci, aut labefactari potuiſſe. Alluditur ad gentilitium Caſtrum.



PHRENOSCHEMA
XI.
Horologium cum ſtylo, qui ſua circumuolutione horas exterius indicet.

Elogium

ARS INTVS.
Significabatur exteriores omnes Petri actiones ab ea, quæ neutiquam foris apparet, animi ſapientia dirigi.

PHRE-

PHRENOSCHEMA.
XII.

Amnis æquabili tenore fluens.

Elogium

TACITVRNVS CELERIOR.

Eadem, ac superior significatio.

PHRENOSCHEMA.
XIII.

Olympi vertex nubes transcendens.

Elogium

STATIO TVTISSIMA.

Significabatur ad serenam Petri mentem nullam vnquam pertingere curarum nubem.

PHRENOSCHEMA
XIV.

Pingatur Mons.

Elogium

INTVS AQVÆ DVLCES.

Significabatur sub oris maiestate morum latere suauitatem.

PHRENOSCHEMA
XV.

Lilia prope aquarum riuum.

Elogium

ARENTIA NVNQVAM, DVM FLVIT.

Significabatur Petri lilia, quoad Castria vixerit aqua, nullam viriditatis iacturam esse passura. Alludit ad gentilitia Castriæ familiæ lilia.

PHRENOSCHEMA
XVI.

Organum ex aquæ motu sonorum.

Elogium

HINC ANIMAM, SONITVMQ. TRAHO.

Significabatur aquam Castriam cantum vatibus inspirare.

PHRENOSCHEMA
XVII.

Lotos, quæ in Euphratem, occidente Sole, mergitur.

Elogium

DONEC RVRSVM SVA LVMINA PANDAT.

Significabatur Parthenope à Petro deserta, denuo mergi in lacrymarum gurgite.

PHRE-

PHRENOSCHEMA
XVIII.
Caſtoris,ac Pollucis in nauis malo flamma.

Elogium

MOX ÆQVORA SIDENT.

Significabatur fratrem vtrumq; quippe Caſtoris,ac Pollucis æmulum,quod conſcenſurus eſt æquor, magna pro ſuo arbitrio tranquillitate conſtraturum.



PHRENOSCHEMA.
XIX.
Sol in Zenith.

Elogium

ARDENTIOR.

Significabatur Petrus in meridie ſuæ dignitatis ardentiores erga nos explicaſſe benignitatis radios.




PHRENOSCHEMA
XX.
Fluuius exundans.

Elogium

VERE NOVO SIC ARVA BEAT.

Significabatur Petrus,rupto maieſtatis aggere,mirificam erga nos,appetente Vere, benignitatem aduentu ſuo effudiſſe.

CARMINVM LIBER TERTIVS ODAE.



PETRI LAVDES.

ODE I.

CAnore quondam barbite, nunc propè
Elinguis, alto quippe silentio
Dedocte nostra temperatis
Verba sequax sociare neruis,
Age, excitatas tende fides: iubet
Regina Pindi plectra diu mihi
Sopita tractare, exulemq;
Ad numeros reuocare cantum.
Tibi ò Iberi gloria, Castrice
Princeps, tributum lingua labens suum
Exoluit, informatq; mutam
Officiosus amor camœnam.
En, cum canoris ipse sororibus
Pindo facessit Cynthius, & tuas
Conspirat in laudes reuulsus
Aonijs Helicon ab oris:

Alternat (audin?) plurimus æmulum
Cyrrham æstuantem potus olor melos,
Tuosque in aduentus canorem
Concipit, Ismariamq; mentem.
Sic, cum diei Ianitor æthera
Claui recludit Phosphorus aurea,
Interq; sapphyros Olympi
Sol tremulum ferit oris aurum:
Pictæ volantes ilicet obuia
Cantu salutant lumina, quo senis
Odea Siluani resultant,
Eq; cauis resonant latebris.
Quid segnis hæres Musa? quid obrui
Laudum hoc in immenso Oceano times?
Dic eia natales superbis
Fascibus, imperioq; claros.
Te, te propinquum, Petre, Britannicæ
Fatentur aulæ: te titulis beat
Cognata maiestas auitis
Lisiadum numerosa Regum.
Tibi ante trunco iuncta Aragonio
Proles refulsit Castria pulchrius,
Tuis et ex illo coronas
Hesperides statuere cunis.
Te, cum parentis è gremio editus,
Alumna blandis gloria brachijs
Excepit, heroumque, dixit,
Viue nepos, atauumq; Regum.

O quan-

O quantus aurato exoreris Tago !
Quantus cadenti nasceris Hespero !
Cresce ò, tuiq; Aurora honoris,
Sol vbi obit, radiosa surgat.
Hinc illa magni vis tibi consili,
Nata et regendis Orbibus indoles,
Iunctusque te Mauors in vno,
Et scelerum fugiens Virago.
Quid Marte posses, si neque pallido
Testata vultu Thracia Luna, nec
Experta conuerso retrorsum
Colluuies Othomanna tergo:
Altrix at heroum, et procerum parens
Mirata Siren, cum media iubes
In pace ludicrum feroces
Martis opus simulare turmas.
At mente quantum posse benignior
Donarit æther: Phosphorus, Hesperus,
Eurique sedes, et Fauoni
Testis, & Euboici profundi
Regina Siren, suspiciens tuæ
Quæ mentis instar, Viue perennibus
Par, inquit, astris, viue nostrum,
Viue tuæ columen Pyrenes.



Idem

IDEM ARGVMENTVM.

ODE II.

Quisquis Parthenopes oppida viderat,
Quisquis purpureis iugera floribus,
Et depicta nouis prata coloribus,
Et fœcunda cacumina:
Dixit, proh superis grata potentibus,
Et dilecta Deo mœnia patrio,
Queis lucent tacitis astra nitoribus,
Queis et sidera militant!
Hic humor placidis fluctibus effluit,
Et fœcunda rigat iugera prodigus;
Dum currit tacitis lympha canalibus
Ditat prata licentius.
Glebas alma Ceres, & segetes manu
Non nunquam facili conserit aureas:
Vellit nunc lolium, nunc tribulos secat,
Plenis ne noceant satis.
Liber populea tempora pampino
Cinctus, ditat agros vitibus annuis:
Vernant Palladijs culmina fœtibus:
Vernant cultaq; pascuis.
Hic Tyrrhena sonant æquora gurgitis:
Hic grato pelagus murmurat impetu,
Et semper Zephyro spirat amabili
Inter stagna Fauonius.

Vrbs

Urbs et finitimas eminus Insulas
Sublimi superat vertice celsior,
Et Cælum patrio culmine territans
Supra nubila se leuat.
At cui Parthenope munera debeat!
Cui grates meritis soluat honoribus,
Tantis aucta bonis? quem pia muneris
Tanti dicat originem?
Tu Fernandus eris, tu tibi debitas
Laudes, & meritis præmia vindicas
Non indigna. canat Parthenope tua
Digno carmine nomina:
Fortunant Superi Castriaden suum:
Aeternantq; boni, quæ regit oppida:
Semper sidereo numine prosperant
Quidquid Castriades habet.
Salue Castriade, cui pia militat
Aeterno Superum turba clientium:
Cui fortuna fauet, cui radiantibus
Fulgent sidera flammulis.

IDEM

ODE III.

O Cui benignè protulit vbera
Præclara virtus, maxime Principum,
Nomen quis æternet, tuosque
Quis celebret titulos in æuum?

Ah quàm benigno numine Faustitas
Vidit te in oras luminis editum,
Hanc cum breuem uitam, et fugacem
Inciperes tener experiri.
Insedit imo tum tibi pectore
Cultus Deorum, nudaque veritas;
Et veritati iuncta, pura
Integritas, pietas, fidesque.
Prudens secundis est animus tibi,
Infractus idem rebus in arduis,
Fortuna quo te cumque pellit,
Intrepidus sequeris pericli.
Vltor malorum, parcus et abstinens
Argenti, amoris non satiabilis,
Fautor bonorum, quos honorant
Thespiadum pater, atq; Pallas:
Fallacis auræ non cupidus, sibi
Viros suetæ fallere credulos.
O lux refulgens, ò tuorum
Petre decus, columenq; auorum.
Iam puriori vortice labere
Sebethe felix: iam famulas aquas
Submittat Hermus, teq; Ganges
Conspicua veneretur vnda.



ODE IV.

IBo quà Tagus aureis
Glebas amnibus irrigat:
Et quà vortice flexili
Bætis rura perambulat:
Quà Gallæcia proximo
Pulsat sydera vertice.
Hic viuentia seculis
Fortunata perennibus
Cernam Castria nomina,
Cernam stemmata Castria
Senis Orbibus inclyta.
Hic, quà Castriadum genus
Inter patria sydera
Claris fulget honoribus;
Alto clarior æthere
Gens virtutibus æmula,
Diuis, & superum choris,
Armis ardua martijs,
Ingens Palladis artibus,
Colles inter Iberios,
Inter regia Principum
Floret nobilis agmina.
Primis aucta parentibus,
Seris aucta nepotibus,
Iam tunc stemmata Castria

Aequauere micantibus,
Cæli sydera flammulis.
Gentem clarior extulit
Franciscus, satus imperi
Leges ponere posteris,
Et Trinacria mœnia
Nutu flectere patrio.
Gentes maximus extulit
Fernandus rutilantibus
Princeps æquus honoribus.
Iam tunc ille recluserat
Magnæ culmina gloriæ;
Primo Sole sub æthera
Fausta cum venit alite.
Et nunc imperiosior
Nutu dum regit Indicos
Tractus, dumq; Neapolis
Frænat mœnia nobilis;
Dum Præses regit Italæ
Terræ Pergama dextera:
Fortunabit, & efferet,
Cæli culmina desuper,
Clari stemmata sanguinis,
Gentis nomina patriæ.



PETRVS IN POESI, AC RE MILITARI
in primis excellens.

ODE V.

QVem virum insueto celebrare plectro
Musa contendis? tenui quid ore
Pindari tantùm numeris canendum
Promere tentas?
Ille, cum postes reserat biformis
Ianus; hostiles domiturus vrbes,
Subsilit longa metuendus hasta
Quadrupedantem.
Fertur armatus medios in hostes
Aemulus Marti: velut è Tonantis
Dextera missum iaculatur altum
Fulmen Olympum.
Non tot eliso per inane cœlo
Grandines currunt, feriuntq; celsa
Tecta, cum stricto furibundus ense
Sæuit Orion:
Quot cruentatas Styga per nigrantem
Victimas Orco litat helluoni,
Cum premit Diuis inimica castra
Castrius ensis.
Ille, cum ferro posito furentis
Iane Bellonæ rabiem coërces;
Palladem miti genio lacessit
Pacis alumnus.

Non tuba Phthij Ducis, aut latino
Indiget cycno. manus vna saeui
Martis, & doctae calamum Mineruae
Impigra gestat.
Cessit at Mauors agitare pugnas;
Exuit crines colubris Megaera:
Petrus vt dulci trahit obsequentes
Carmine syluas.

DE RECENSITO EQVITATV.

ODE VI.

O Qui tumultus, qui strepitus meas
Perstringit aures? qui fragor ensium
Rumorq; fusus praeliorum
Personat Euboicas per oras?
Regina Siren excita desides
Ad arma turmas, et iuuenum ferox
Examen vrget Bosphoranis,
Atque Boristenidis timendum.
Viden, coactis ordinibus cohors
Equis in altis vt strepit, horridis
Armata telis; vt Tyrannum
Threicium indocilem domari
Perterret, aureis vt sonipes fremit
Fulgens in armis, & quatit vngula
Campos patentes, quem canoro
Aere ciet tuba martialis.

O se-

O feriatis quæ mala barbaris
Repente pubes inferet Ausonis!
Quæ damna, quas cædes cruento
Lunigeris dabit illa ferro!
Hic altiori celsus ab aggere
Mirabor. O quæ cognita non prius
Spectacla contemplor! phalanges,
Agminaq; armigerūsq; turmas.
Videre fortes iam videor duces,
Iam bellicosis ora furoribus
Præ se ferentes excitare,
Heu pudor, heu, latialis oræ
Martem iacentem, ac Nominis Itali
Prolem triumphis nobilibus diu
Obliuiosam, rursus armis
Cornua vt Odrysiæ refringat
Proteruientis perfida Cynthiæ.
O prima claræ gloria Iberiæ
Fernande, sic tutare Regnum,
Sic Dominos fer ad astra Iberos.

DE MVSÆO NVPER ERECTO, & aqua Castria.

ODE VII.

O Quæ sororum prima regis choros,
Et dulce ducis, Calliope, melos,
Descende Pindo, sed canorum
Affer ebur, citharamque Phœbi.

Alsis

Adsis, nec impar Pieriæ domo
Tectum subibis. cerne palatia
Educta cælo, æterna terris
Castriadis monumenta mentis.
Illa olim equorum sederat area
Adscripta curis. hoc sonipes pati
Cæpisset acer fræna campo,
Et celeres glomerare gressus.
Illic equina non scatet vngula
Fons fossus: humor sed sapientiæ
Diuinioris manat Orbi
Pegaseo melior liquore.
Liquor remoto Gange beatior,
Liquor Timauo fonte perennior,
Lapsuque pollens efficaci
Tænarias domuisse flammas.
Per quem micabit clara Neapolis:
Per quem volabit Castriæ ad vltimas
Virtutis oras fama, ab ortu
Solis ad Hesperium cubile.

DE INDICA PETRI PRÆFECTVRA.

ODE VIII.

GAnges arenis diues ab aureis,
Auroq; felix insatiabili,
Interminata merce pinguis,
Et patrijs opibus superbus;

Quem de remotis nauita portubus,
Quem de reductis Orbibus appetit
Mercator audax mensus vncta
Occanum rate fluctuosum;
Qui vincis amnis munera Lydij,
Pactolon auro qui tumidum praeis,
Nec non Idaspen purpuranti
Ditior exuperas lapillo;
Quem Medus atrox, quem Garamanticus
Obseruat hospes, quem Scythicus petit
Regnator; imus quem Sicamber
Supplicibus veneratur oris:
Quae noster in te munera contulit
Fernandus, oras dum regit exteras,
Dum iura condit, dum potentes
Imperio moderatur Indos?
Non sic Eoo cum caput aequore
Vrgente curru Lucifer exerit,
Foecundat agros, & tenebras
Noctiuagas per inane pellit:
Vt auspicata claruit alite
Dies; Eoas quà tenuit plagas
Fernandus heros, quà superbas
Gangis opes populosq; rexit.
Fulsere campis sidera purius
Indis: tulerunt numina candidos
Soles, & alma Faustitate
Vberior volitauit annus.

Sensere numen iugera Castrium
Fœcunda latè frugibus annuis:
Sensere gentes auspicatum
Nomen, & imperij secures.
O viue felix nomen in vltimis
Fernande Mundi tractibus inclytum:
Quem sæpe ditat, sæpe cornu
Copia consequitur beato.

PRO NEAPOLITANA PROVINCIA optimè obita, gratiarum actio.

ODE IX.

P*Rinceps altior æthere,*
Hispani decus imperi,
Magnis nate potentibus,
Sceptris nate parentibus,
Claræ regna Neapolis
Quo flectente, nec æquoris
Siren pertimuit minas,
Quo flectente, nec ætheris
Siren cessit honoribus.
Quæ per mutua munera
Possit dona rependere
Tantis digna laboribus
Vrbs antiqua Neapolis?
Non, si quidquid in æreis
Auri continet arculis;
Non, si quidquid in abditis

Fru-

Frugum colligit horreis;
Non, si quidquid in vltimis
Bacchi collibus exprimit,
Impendat: poterit pari
Dono soluere præmium.
Magnis maior honoribus,
Amplis amplior orbibus,
Thesauris opulentior,
Diti munere ditior,
Tu Princeps tibi sufficis.
Tu munus tibi maximum,
Non æquabile præmium.
Iam te diues Iberia,
Te poscit Tagus aurifer:
Iam te Baetis oliuifer
Nostris euocat vrbibus.
I, fer gaudia patrijs
Illabentia finibus:
I, fer dona vocantibus
Dudum debita mænibus.
Hic, quà brachia porrigit
Siren æquora diuidens:
Hic, quà rura iacentia
Siren collibus explicat:
Inter roscida gramina,
Inter frondea culmina
Viuent scripta perennibus
Frondescentia lilijs,

Florescentia amaracis
Latè Castria nomina.

CARMINVM BENEFICIO
Petri nomen immortalitati consecrabitur.

ODE X.

Ponerem iunctis simulacra ceris:
Ponerem diti pretiosa torno
Signa, quæ centum redimita signis
Pinxit Apelles.

Ponerem certo monumenta cultu:
Ponerem supplex tibi dedaleis
Elaboratas manibus figuras
Castrius heros.

Nulla sed mentem tibi temperatam
Dira signorum tetigit cupido:
Nullus in sacros spatiatur artus
Ardor habendi.

Poscis æterno monumenta versu:
Postulas veris superesse Musis,
Perq; venturos generosus annos
Viuere cantu.

Concidunt æuo simulacra longo:
Concidunt priscis animata signis,
Semper annorum labefacta telis
Signa vetustis.

Con-

Concidit nunquam celebrata versu
Fama mansuro; nec iniqua mortis
Damna formidat. necis inter vmbras
Clara refulget.
Viuet extento memorandus æuo
Dictus argiui numeris Homeri
Fortis Atrides: erit æquus vnà
Phthius Achilles.
Viuet Aeneæ propiore fato
Sat Maroneo celebris cothurno
Nomen, et virtus, pietasq; longa
Cognita fama:
Donec humentes dabit vnda pisces:
Donec ardentes polus altus ignes
Pascet, & curru rutilante flectet
Lampada Titan.
Stabit Argoæ ratis imperator:
Stabit Anthei, Nemeiq; monstri
Victor, & Lernæ populator audax
Incola Thebes.
Crescet æterno velut vnda riuo
Cæsaris virtus; & auita Magni
Fama Pompei per et astra, perq;
Diffluet Orbem.
Ergo nunc cantu Petrus, & camænis
Additus nostris, superante digni
Nominis fama, super astra, supra
Ibit Olympum.

IN

IN PETRI DISCESSVM.

ODE XI.

QVis vela primus belligerantibus
Commisit Austris? quis tumidum mare
Neglexit, & fluctus atroces
Naufragus æquoreas per undas?
Quis fluctuantes ausibus improbis
Tentauit undas? canaq; cærula
Calcauit audax? quis recenti
Naue salum ruit æstuosum?
Illum niuali uertice Caucasus
Excepit infantem, & lea sanguine
Nutrit ferino, seu cauernis
Tænarijs generauit anguis.
Ah quot uoraci uortice nauticas
Neptunus alnos, quot rapuit mare
Cæcas per undas raucà clangens
In breuia, & scopulos acutos?
Sæpe et receptis robora mercibus
Onusta Tethys perdidit, & malis
Infracta saxis ingruenti
Sorpsit aqua uiolentus imber.
Sed cur auaro, credulus ah nimis
Fernande, ponto tutus ab Itala
Tellure soluis? nonne sentis
Nerei Hyperboreos tumultus?

Fal-

Fallit silentis te facies maris:
Mox praeliantes excitat Africos,
Ni fata nolint, in tuorum
Perniciem, miseramq; cladem.

IDEM ARGVMENTVM.

ODE XII.

ERgo nobilius, Parthenope, caput
Committes animis improba Thraciis,
Illum, cui Pietas, et Charitum chorus
Nunquam vllum inuenient parem?
Quem virtus atauis Regibus editum
Faustis edocuit sub penetralibus.
Maiora ingenij suscitat indoles
Semper sceptra capessere.
Olli per gremium ludit amabilis,
Incorrupta soror Iustitiae, Fides.
Virtutum lateri nobilior chorus
Haeret dissociabilis.
Hinc inter veteres splendidioribus
Heroas radijs emicat inclytus:
Aeternatq; plagas, quas generosior
Sceptro diuite temperat.
Testes ducta iugo flumina Vesbio,
Quae Patrem uocitant garrula Castrium:
Testis pestiferis hausta paludibus
Halans vnda mephiticum.

Mu-

Musæum ingenuis quid loquor artibus
Eductum liquidum nuper ad æthera,
Quà pulchrum sophiæ nomen, et aureus
Musarum rutilat lepor?

DE FRANCISCI IN SICILIAM discessu.

ODE XIII.

Tendite iter fausto felices alite puppes,
Et medium date vela per æquor.
Iam genialis aquas leni ciet aura susurro:
Hybernæ posuere procellæ:
Durus ab æstiuis mitescit solibus aër;
Nec pluuios ver parturit imbres.
Vltrices siluere canes, patiturq; Charybdis
Castriadas vesana carinas.
Sicelis ora vocat Cereri gratissima tellus
Austriacis regnata Philippis.
Ite: cita pelagus trabe currite, quà procul atrox
Sulphureis tonat Aetna ruinis;
Quà cæco exercent ferrum Cyclopes in antro
Tela Ioui metuenda furenti:
Quà liquidas Arethusa uolubilis explicat undas
Alphæo commista marito.




SI-

SICILIÆ EX FRANCISCI REGIMINE felicitatem auguratur.

ODE XIV.

NVnc nunc Trinacrio ſinu
Quiſquis otia conteris;
Quiſquis rura Sicanis,
Obuallata colis iugis:
Feſto carmine laudes
Venturo cane Principi;
Feſto murmure Caſtrium
Tolle nomen ad æthera.
En tibi rutilantibus
Lucet Delius axibus:
En tibi radiantibus
Plaudunt ſidera flammulis.
Terris miſſus Iberis,
Partis diues honoribus,
Fratris faſcibus inclytus
Te recturus adeſt ſacro
Princeps numine firmior:
Te recturus adeſt bona
Princeps alite ſanctior.
Illo quis dare gentibus
Legum nomina doctior?
Aut quis aptior imperi
Iura nectere ſubditis?
Ille ſtirpe potentior,

Claro nomine clarior,
Regnis æquus auitis,
Fraternisque nitoribus,
Aequo sidere non minor
Ducet Sicana nomina
Cælo proxima patrio;
Et Trinacria proferet
Terras iura per vltimas.
Illo Principe, quis decus
Aetnæ nesciat igneæ?
Illo Præside, quis iubar
Montis nesciat Agragæ?
Ibit fama Sicaniæ
Orbes fusa per exteros,
Quà longinqua Britannia
Campis imperat arduis:
Quà Pharsalia Dardano
Fusa sanguine rubricat:
Ibit quà Libyæ plagas
Phœbus lampade proxima
Deflagrantius inficit,
Et quà subdita frigidis
Horrent regna Trionibus.



FRANCISCO IN SICILIAM
pro Rege profecturo.

ODE XV.

SIren dum trabibus littora conderet,
Threissæq; animæ lintea pellerent:
Sensit Calliope Sicana mænia
Sceptrum Castriados manus
Acceptura. fides et quatiens lyræ,
Atq; affecta Deo pectus Apolline,
Soluit fatidicis ora canoribus,
Soluit fila sonoribus.
Mox, Phorcis, scelerum supplicium lues:
Mox & nauifragis perfida cautibus
Expellere, tuis cæsa Siciniam
Dilutura cruoribus.
Nequidquam rabidum præsidio canum
Terrebis Thetidis Castra latratibus,
Et iactis feries sidera fluctibus.
Nequidquam specubus nigris
Vitabis calami spicula Castrij:
Horrentem Hesperio iam parat ægida
Perseo: iam rutilam cassida porrigit
Pallas exitio tui.
En impune secat nauita dexterum
Littus Trinacriæ, tutus et anchoram
Fastidit, recinens Phorcidos impiæ
Francisco domitas canes.

Tum Cyclops validis otia brachijs
Donabit: Lipares deses erit focus:
Nec contusa gement feruida malleis
Mortis arma satellites.
Bis coget grauidis iugera fœtibus
Pax, et purpureis horrea messibus
Distendet: querula voce Proserpinam
Mater quærere desinet.
Ibit per patrios sedula limites,
Nec Solis rabidi tela morabitur
Francisco Domino serua superbior,
Quàm Iuno Ioue coniuge.


FAVSTAM PETRO, AC FRANCISCO, germanis fratribus, nauigationem precatur.

ODE XVI.

O Qui marinis fluctibus imperas,
Qui contumacis cærula marmoris,
Et fluctuantis stagna Nerei
Indomito cohibes Tridenti;
Compone vasti gurgitis æquora,
Substerne fluctus irremeabiles,
Dum verrit æquor, dumq. vterque
Castriades freta salsa findit.
Non est, quòd vndis sidera prouoces:
Non est, quòd Euros montibus euoces:
Insanientes nec procellas
Cur animo grauiore fundas.

Iam

Iam non Achiuis puppibus æquoris
Secantur vndæ: non soboles trucis
Inuisa Laërtis profundo
Vela facit peritura Ponto.
Arant gemelli cærula Principes:
Mites oberrant æquora Præsides;
Cælo ambo grati, ambo Deorum
Concilio, superisque noti.
Verere supplex nomina Principum:
Verere sanctis pectora moribus
Imbuta; sic te semper Euri,
Et Boreæ paucant frementes.
Et vos profundi numina gurgitis
Glaucusq́, Triton, cumq; Palæmone
Cadmea mater, cum Pherusa
Nereidum chorus omnis vnà
Caput supinis tollite fluctibus,
Iunctis choreas ducite palmulis,
Sedate fluctus inquietos:
Dum geminus mare currit heros.
Hic ad paterni mœnia littoris
Maturat altis diues honoribus:
Alter Sicanas pergit oras
Trinacriæ regimen daturus.



FAV-

FAVSTAM PETRO NAVIGATIONEM precatur.

ODE XVII.

O Quæ fugaci remigio paras
Fluctus ſonantis verrere Nerei,
Oriſq; Sirenum relictis
Occiduos penetrare tractus
Puppis, memento tuta ſuperbiam
Calcare ponti, ſi malus ingruet,
In teq; conſurgens citatas
Extulerit violentus vndas.
Tu ſi recluſo carcere ſoluerit
Iras Borei flaminis Aeolus;
Euruſq; ſi ſurget, Notuſq;
Aequoræis ſubitus cauernis:
Ne cede. quanti ò credita Principis
Fortuna Ponto, te faciles vias
Præbente, te tutumq; curſum
Per medios rapiente fluctus.
At bellicoſis fluctibus arbitror,
Te parcet æquus lædere Nereus:
Auriſq; ſpirantes ſecundis
Te Zephyri comites ſequentur.
Vides, vt imo Nereidum chorus
Miſcet choreas gurgite, & impiger
Neptunus inſuctos triumphos
In medijs meditatur vndis!

Qua-

Quacumque fluctus presseris : efferet
Ramosa saxis ille corallia.
Quacumque sulcaris carina :
Sparget aquas adamante pulchro .
Quin flabra flatu didita dextero
Per summa ludunt æquora . senseris
Si murmur aurarum volantum ;
Te placidis animis salutant .
I *læta Ponto: namq; vbi creditum*
Reddes Iberis sospita finibus
Heroa : sublimis per Orbes
Aetherios tua fama surget .
Argo repostas Hesperidum domos
Tentauit : Argo vellere lucido
Onusta, Ponto iam reuecto ,
Nauigat ætherios per ignes .

IDEM ARGVMENTVM.

ODE XVIII.

S*Aeuus marini gurgitis arbiter*
Neptune, tristes pone minas ferox :
Aequata tranquillet paternas
Doris aquas propiore vento.
Heroas ambos, Castriadum genus ,
Dum puppis vndas fert per inhospitas :
Rostrata canescente pinus
Tuta secet vada salsa flictu .

Sint verna Cælo flamina liquido;
Nec pontus atro mugiat Africo:
Non Caurus cmoto fatiget
Vela ferox tremebunda malo.
Ah vota frustra quò ruitis mea?
Quò nostræ inanes, quò ruitis preces?
Hyberna Neptuni ruina
Aeoliæ redeunt procellæ.
Iam concitatis feruet aquis mare:
Brumale sydus iam repetit Polum:
Vndæq; spumosusq; Triton
Astra salo saliente pulsat.
Ah siste fratrum par, decus Italum:
Neptunus vltor cærula concitat,
Sirena non passus querentem,
Et lachrymis mare fluctuosum.

SIRENIS ABEVNTE PETRO Querelæ.

ODE XIX.

IAm nunc querentem syrmate funebri,
Et sæua tristi carmine sidera
Per saxa clamantem, solutis
Parthenopen video capillis.
Cantus parenti quid iuuat inditus,
Quo aurita cete saltibus æquora
Pulsare, & vndas contumaces
Edocui cohibere murmur?

En

En linquor ægris preda doloribus:
En fertur atris ſpes Aquilonibus.
Ah remus vndas dum flagellas:
Vulnere me miſeram reſindis.
O quot triremis mi bona proripis,
Dum vela ſæuæ pandis Iberiæ
Vectura tecum cuncta præpes
Gaudia cæruleas per vndas.
I, ſolue funes alite proſpera:
Heroa notis redde penatibus:
Ceſſent in equales procellæ
Aequoreos agitare fluctus.
Et, ſi ille noſtris è regionibus
Diſcedit; arctis haud ab amoribus.
Fernande, tu rerum mearum
Semper eris decus, atq; Caſtrum.



CARMINVM LIBER QVARTVS.

SILVAE.



ORPHEVS E PARNASSO.

I.


Saluete Heroës gemini, gens Castria salue
Lisiadum generosa domo, generosa Britannum
Connubijs Regum: salue ò gens vnica Regi
Dilecta Hesperio, consorsq; ascita regendis
Imperijs, praeiussa caput redimire galero,
Bellatoris honos, & princeps gloria Iberi.
Orpheus huc venio Phoebaea nuncius aulae,
Musarum mandata ferens. iam Phoebus Apollo,
Dijq; Deaeq; omnes, quos altum Helicona tueri
Dulce coquit studium, tibi decreuere triumphum
Faustum, augustum, ingentem, vrget quà sidera Pindus,
Sidereosq; haurit cognato vertice cantus.
At mihi dum fandi placido sit copia vultu,
Vultu, quo vatum mentes, animosq; serenas
Fernande, incipiam, sanctumq; ex ordine dicam
Pindi concilium, vatumq; arcana recludam.

Musæum ingenuis quid loquor artibus
Eductum liquidum nuper ad æthera,
Quà pulchrum sophiæ nomen, et aureus
Musarum rutilat lepor?

DE FRANCISCI IN SICILIAM discessu.

ODE XIII.

TEndite iter fausto felices alite puppes,
Et medium date vela per æquor.
Iam genialis aquas leni ciet aura susurro:
Hybernæ posuere procellæ:
Durus ab æstiuis mitescit solibus aër;
Nec pluuios ver parturit imbres.
Vltrices siluere canes, patiturq; Charybdis
Castriadas vesana carinas.
Sicelis ora vocat Cereri gratissima tellus
Austriacis regnata Philippis.
Ite: cita pelagus trabe currite, quà procul atrox
Sulphureis tonat Aetna ruinis;
Quà cæco exercent ferrum Cyclopes in antro
Tela Ioui metuenda furenti:
Quà liquidas Arethusa uolubilis explicat undas
Alphæo commista marito.




SI-

SICILIÆ EX FRANCISCI REGIMINE felicitatem auguratur.

ODE XIV.

NVnc nunc Trinacrio ſinu
Quiſquis otia conteris;
Quiſquis rura Sicanis,
Obuallata colis iugis:
Feſto carmine laudes
Venturo cane Principi;
Feſto murmure Caſtrium
Tolle nomen ad æthera.
En tibi rutilantibus
Lucet Delius axibus:
En tibi radiantibus
Plaudunt ſidera flammulis.
Terris miſſus Iberis,
Partis diues honoribus,
Fratris faſcibus inclytus
Te recturus adeſt ſacro
Princeps numine firmior:
Te recturus adeſt bona
Princeps alite ſanctior.
Illo quis dare gentibus
Legum nomina doctior?
Aut quis aptior imperi
Iura nectere ſubditis?
Ille ſtirpe potentior,

Claro nomine clarior,
Regnis æquus auitis,
Fraternisque nitoribus,
Aequo sidere non minor
Ducet Sicana nomina
Cælo proxima patrio;
Et Trinacria proferet
Terras iura per vltimas.
Illo Principe, quis decus
Aetnæ nesciat igneæ?
Illo Præside, quis iubar
Montis nesciat Agragæ?
Ibit fama Sicaniæ
Orbes fusa per exteros,
Quà longinqua Britannia
Campis imperat arduis:
Quà Pharsalia Dardano
Fusa sanguine rubricat:
Ibit quà Libyæ plagas
Phœbus lampade proxima
Deflagrantius inficit,
Et quà subdita frigidis
Horrent regna Trionibus.



FRANCISCO IN SICILIAM pro Rege profecturo.

ODE XV.

SIren dum trabibus littora conderet,
Threissaeq; animae lintea pellerent:
Sensit Calliope Sicana moenia
Sceptrum Castriados manus
Acceptura. fides et quatiens lyrae,
Atq; affecta Deo pectus Apolline,
Soluit fatidicis ora canoribus,
Soluit fila sonoribus.
Mox, Phorcis, scelerum supplicium lues:
Mox & naufragis perfida cautibus
Expellere, tuis caesa Sicaniam
Dilutura cruoribus.
Nequidquam rabidum praesidio canum
Terrebis Thetidis Castra latratibus,
Et iactis feries sidera fluctibus.
Nequidquam specubus nigris
Vitabis calami spicula Castrij:
Horrentem Hesperio iam parat aegida
Perseo: iam rutilam cassida porrigit
Pallas exitio tui.
En impune secat nauita dexterum
Littus Trinacriae, tutus et anchoram
Fastidit, recinens Phorcidos impiae
Francisco domitas canes.

Tum Cyclops validis otia brachijs
Donabit: Lipares deses erit focus:
Nec contusa gement feruida malleis
Mortis arma satellites.
Bis coget grauidis iugera fœtibus
Pax, et purpureis horrea messibus
Distendet: querula voce Proserpinam
Mater quærere desinet.
Ibit per patrios sedula limites,
Nec Solis rabidi tela morabitur
Francisco Domino serua superbior,
Quàm Iuno Ioue coniuge.


FAVSTAM PETRO, AC FRANCISCO, germanis fratribus, nauigationem precatur.

ODE XVI.

O Qui marinis fluctibus imperas,
Qui contumacis cærula marmoris,
Et fluctuantis stagna Nerei
Indomito cohibes Tridenti;
Compone vasti gurgitis æquora,
Substerne fluctus irremeabiles,
Dum verrit æquor, dumq́. vterque
Castriades freta salsa findit.
Non est, quòd vndis sidera prouoces:
Non est, quòd Euros montibus euoces:
Insanientes nec procellas
Cur animo grauiore fundas.

Iam

Iam non Achiuis puppibus æquoris
Secantur vndæ: non soboles trucis
Inuisa Laërtis profundo
Vela facit peritura Ponto.
Arant gemelli cærula Principes:
Mites oberrant æquora Præsides;
Cælo ambo grati, ambo Deorum
Concilio, superisque noti.
Verere supplex nomina Principum:
Verere sanctis pectora moribus
Imbuta; sic te semper Euri,
Et Boreæ paucant frementes.
Et vos profundi numina gurgitis
Glaucusq́; Triton, cumq; Palæmone
Cadmea mater, cum Pherusa
Nereidum chorus omnis vnà
Caput supinis tollite fluctibus,
Iunctis choreas ducite palmulis,
Sedate fluctus inquietos:
Dum geminus mare currit heros.
Hic ad paterni mœnia littoris
Maturat altis diues honoribus:
Alter Sicanas pergit oras
Trinacriæ regimen daturus.



FAV-

FAVSTAM PETRO NAVIGATIONEM precatur.

ODE XVII.

O Quæ fugaci remigio paras
Fluctus ſonantis verrere Nerei,
Oriſq; Sirenum relictis
Occiduos penetrare tractus
Puppis, memento tuta ſuperbiam
Calcare ponti, ſi malus ingruet,
In teq; conſurgens citatas
Extulerit violentus vndas.
Tu ſi recluſo carcere ſoluerit
Iras Borei flaminis Aeolus;
Euruſq; ſi ſurget, Notuſq;
Aequoræis ſubitus cauernis:
Ne cede. quanti ò credita Principis
Fortuna Ponto, te faciles vias
Præbente, te tutumq; curſum
Per medios rapiente fluctus.
At bellicoſis fluctibus arbitror,
Te parcet æquus lædere Nereus:
Auriſq; ſpirantes ſecundis
Te Zephyri comites ſequentur.
Vides, vt imo Nereidum chorus
Miſcet choreas gurgite, & impiger
Neptunus inſuctos triumphos
In medijs meditatur vndis!

Quacumque fluctus presseris: efferet
Ramosa saxis ille corallia.
Quacumque sulcaris carina:
Sparget aquas adamante pulchro.
Quin flabra flatu didita dextero
Per summa ludunt æquora. senseris
Si murmur aurarum volantum;
Te placidis animis salutant.
I læta Ponto: namq; ubi creditum
Reddes Iberis sospita finibus
Heroa: sublimis per Orbes
Aetherios tua fama surget.
Argo repostas Hesperidum domos
Tentauit: Argo vellere lucido
Onusta, Ponto iam relicto,
Nauigat ætherios per ignes.

IDEM ARGVMENTVM.

ODE XVIII.

SAeuus marini gurgitis arbiter
Neptune, tristes pone minas ferox:
Aequata tranquillet paternas
Doris aquas propiore vento.
Heroas ambos, Castriadum genus,
Dum puppis undas fert per inhospitas:
Rostrata canescente pinus
Tuta secet vada salsa flictu.

Sint verna Cælo flamina liquido;
Nec pontus atro mugiat Africo:
Non Caurus emoto fatiget
Vela ferox tremebunda malo.
Ah vota frustra quò ruitis mea?
Quò nostræ inanes, quò ruitis preces?
Hyberna Neptuni ruina
Aeoliæ redeunt procellæ.
Iam concitatis feruet aquis mare:
Brumale sydus iam repetit Polum:
Vndæq; spumosusq; Triton
Astra salo saliente pulsat.
Ah siste fratrum par, decus Italum:
Neptunus vltor cærula concitat,
Sirena non passus querentem,
Et lachrymis mare fluctuosum.

SIRENIS ABEVNTE PETRO Querelæ.

ODE XIX.

IAm nunc querentem syrmate funebri,
Et sæua tristi carmine sidera
Per saxa clamantem, solutis
Parthenopen video capillis.
Cantus parenti quid iuuat inditus,
Quo aurita cete saltibus æquora
Pulsare, & vndas contumaces
Edocui cohibere murmur?

En

En linquor ægris preda doloribus:
En fertur atris ſpes Aquilonibus.
Ah remus vndas dum flagellas:
Vulnere me miſeram reſindis.
O quot triremis mi bona proripis,
Dum vela ſæuæ pandis Iberiæ
Vectura tecum cuncta præpes
Gaudia cæruleas per vndas.
I, ſolue funes alite proſpera:
Heroa notis redde penatibus:
Ceſſent inæquales procellæ
Aequoreos agitare fluctus.
Et, ſi ille noſtris è regionibus
Diſcedit; arctis haud ab amoribus.
Fernande, tu rerum mearum
Semper eris decus, atq; Caſtrum.



CARMINVM LIBER QVARTVS.

SILVAE.



ORPHEVS E PARNASSO.

I.

SAluete Heroës gemini, gens Castria salue
Lisiadum generosa domo, generosa Britannum
Connubijs Regum: salue ò gens vnica Regi
Dilecta Hesperio, consorsq; ascita regendis
Imperijs, praiussa caput redimire galero,
Bellatoris honos, & princeps gloria Iberi.
Orpheus huc venio Phœbaæ nuncius aulæ,
Musarum mandata ferens. iam Phœbus Apollo,
Dijq; Deæq; omnes, quos altum Helicona tueri
Dulce coquit studium, tibi decreuere triumphum
Faustum, augustum, ingentem, vrget quà sidera Pindus,
Sidereosq; haurit cognato vertice cantus.
At mihi dum fandi placido fit copia vultu,
Vultu, quo vatum mentes, animosq; serenas
Fernande, incipiam, sanctumq; ex ordine dicam
Pindi concilium, vatumq; arcana recludam.

Phœbus odoratæ ſenium quà nobile ſiluæ
Seruat Hyampeo in magno, volitantia præter
Nubila turrito moles ſe vertice tollit
Picta latus, redimita caput prædiuite ſaxo.
Hæc intus lauro, flauaq; ſedilia cedro
(Immortale opus) auguſto domus orbe coërcet
Cecropios, latioſq; ſinu exceptura poëtas
Concilia ad magna. at ſolium ſupereminet omnes
Latoi ſedes, Delo quod prætulit altæ.
Illius hic ingens radijs diadema coruſcat:
Hic arcus, victumq; ſuper Pythona ſagittæ
Fatali incumbunt niſu: ſimul aurea primos
Victorem comitata Iouem lyra ſeruat honores.
Huc forte vt ventum, ac Delij de more precamur
Numina: conſedere Deæ, & quos æquus amauit
Phœbus, & Aſcreis tranſcripſit ſedibus ingens
Pindi relligio, Diuæq; Poëſeos ardor.
Calliope hinc ſurgit, cui conceſſere Camœnæ
Heroum ſortes, & munera prima ſenatus.
Caſtalidæ, infit, culti, Diuæque ſorores,
Caſtria res agitur. veſtrum quæ Caſtria neſcit
Facta, Deæ, aut pulchræ virtutis adorea fallit?
Quin mihi iam ſeruata diu, nec laude maligna,
Nec dubij redimita iubar ſcintillat honoris.
Militiæne prius miter, laudumne nitentis
Iuſtitiæ, an claro ſtirpis de ſanguine Regum
Deductæ, lateq; orſis ingentibus auctæ?
Hæc Tagus, hac Tybris, hæc referat Sebethus, & ambæ

He-

Hesperiæ, miro sibi quas Franciscus amore,
Maiestate catus facili deuinxit, & acer
Contemptor Fernandus opum, se diues ab vno.
At qui transierim ripa Sebethide molem
Castriadum eductam imperio! quam diuite iussu
Versicolor pulchro vitiat discrimine marmor,
Artis opus, sectaq; labor petit astra Carysto;
Numinibus vestris, & Diuæ Palladi templum.
Hic non Assyrios imponi mandat odores,
Felicisq; soli messes: verùm ordine centum
Ingenij facibus florentes excitat aras.
Et super hæc vigiles, fortunatosq; labores
Adijcite, egregius queis desudauit alumnus,
Virtutumque auceps Fernandus, siue Thaliæ,
Melpomenes siue orsa mouet grauiore cothurno.
Huc acies animorum, & grati lumina cordis
Figite, si quid habent iucundi hæc, si quid honesti:
Et merito tandem decoretur munere virtus.
Iam nomen (neq; enim tali non dignor honore)
Et peperit sibi Mæcenas Helicone triumphum:
Acceptusq; choris Musarum, altaribus ædes
Auget, vbi auspicijs vatum, votisq; vocatur.
Hoc ipsum, hoc Diuæ meritis maioribus opto
Castriadæ (quamquam ò) veteri sed cedimus æuo.
Olli circundent flammantia tempora laurus
Bisgeminæ, Imperij decus altera, & altera Plectri.
Si benè quid meruit vestro de numine, poscit
Hoc vnum Ausonia: hoc auri liquentis Iberus

Mer-

Mercaretur aquis, tantum si ponderis auro est.
Talibus orantem vatem, ipsumq; inter agendum
Excepere Deæ: & festo clamore, Triumphet
Ingeminantq; Triumphet Io: Fernandus ad auras,
Ipsaq; Io, resonant subsellia pulsa, Triumphet.
Ac veluti vt primùm pennis allabitur hasta,
Cominus instructæ spirans exordia pugnæ:
Arma acies, arma omnis ager, arma asonat æther.
Vix ea. mille manus operi incubuere, laborem
Quæq; suum sortita, & certauere superbum
More triumphalis componere fornicis arcum.
Pars faciem murorum, atque altæ marmora frontis
Expediunt, aut aërias aptare columnas
Ardentes instant lateri: pars fingere viuos
Castriadum vultus, primaque ab origine gentem,
Armaque, subiectasq; vrbes, partisq; tropheis
Gallæci postes auctos, decora alta nepotum.
Nec Paros huc vehitur stridentibus aduena plaustris,
Aut nitet è phario deuecta columna Canopo.
Feruet opus: totum heroo de carmine cultus
Musarum labor, & Phœbi monumenta magistri.
Prima è sublimi spirantia fornice Clio
Ora Patrum duxit, teneræq; exordia gentis
Vltima Castriados, primosq; effinxit honores.
Hic et Lisiadum reges, regesq; Britannos
Cognatosq; duces, patrijs heroas in armis.
Hesperiæ hinc montes, & montibus erigit arces,
Oppidaq; innumeros proauis regnata per annos

Vſq; tuis, memor antiquos Dea reddere vultus.
Magnanimumq; addit genitorem regna tenentem
Parthenopes pro Rege, pijs quem fletibus udi
Ter centum heroës felicem animam exhalantem
Circumſtant. hic primi alto ſubiere feretro
Certatim, totamq; obnubunt luctibus urbem.
Viſaq; compellare virum, ter conſtitit ægrum
Inter opus Dea. Tune ille heroum genus, & tu
Heroum fœcunde? heu ſiccine linquis habenas
Sebethiq; arces? heu quo fruſtaris Ibere
Præſidio Auſonia in magna! heu qualem tibi, Siren,
Fata parant luctus ſegetem! at tu proxime Diuis
I, patrio ſuccede Polo: mortalia duri
Curent mortales, laudiq; laboribus inſtent.
Quin humiles terrarum animo iam reijce curas.
En tibi ſufficitur, ſanguis tuus, altera proles;
Maſcula cui vis, & forti quæ pectore verſat
Magnanimam inuidiam, patriæ non inſcia laudis.
Iamq; tener cape dura manu puer: incipe lora
Traxe recuſantum, vltroq; remitte volentum,
Magna rudimenta imperij, fortiſq; futuræ.
Interea natum fingit: patremq; piorum
Aetherio plaudente choro, magnum ante Tonantem
Sede locat, frontiq; Deum decus aptat habendum.
At currus circum inuerſos, clypeoſq; cruentis
Permiſtos galeis, & non felicibus haſtis
Addidit Euterpe, decus immortale, labori:
Dexter ſe latum paries quà pandit in æquor,

Distinctum geminis quod abit sublime columnis.
Te, consanguineos inter qui surgis honores;
Fernande, vt socios inter Titanius ales
Indutus nitidam fœcunda morte iuuentam
Cum delubra petit, fuluiq; Hyperionis aras,
Fecerat, instabatq; opus ambitiosa laboris.
Calliope tanti, viresq; artemq; lacessit.
Hic regna auricomæ primum Sirenis, & vrbem
Chalcidicosq; lares, operoso rettulit auro,
Italiæ haud partem exiguam: tuq; arduus aula
Austriadæ in media, & solio sublimis eburno
Sceptra regis, castosq; foues, fontesq; coërces.
Post Charites manibus circum per mutua nexis
Sollicitant choreas: pulchrum sincera Voluptas
Agmen agit: tum cana Fides, & nobile Verum
Assistunt lateri: gradiens præ dia coruscat
Hinc ensem districtum, hinc Libram Astræa bilancem.
It quoque fœta sinus, & diuite Copia cornu.
Has inter medias placido Pax otia vultu
Firmat, & ignotas Bellonam auertit in oras.
Hinc animos complexa tuos, certissima rerum
It comes imperio Prudentia fida, Labori
Omnia tentanti peperit quam sera Senectus.
Nec procul interea tibi Sandouallia coniux
Vna pari virtute, pari simul ardet amore,
Et sibi iam pridem suspirat pignora, tanti
Spem generis, centumq; ignes pia suscitat aris.
Hesperidæ indigetes, quorum sub numine terris

Hesperiæ dant iura, domum ne occumbere tantam,
Ne tantam Austriaco regi subducere pubem.
Parce metu, Fernande, manent immota Hymenæis
Fata tuis: certam Superis sedet addere prolem.
Nec longum, dulces inter tua brachia natos
Aspicies tenerisq; innectere colla lacertis,
Et patrios risus, patriosq; effingere vultus,
Fatales regno vultus, dum pontus, & æther.
Hoc ipsum Vranie cœli scrutata meatus,
Astrorumq; vias, spatio describit eodem,
Te super effingit, monstrum exitiale, paludem
Auertentem agris, & agentem flumine pestem.
Parte alia, magne Oenotrijs Francisce trophæis
(Melpomenes labor, atq; Eratus) sublimior extas
Prole tua felix, atq; Ausonijs Hymenæis.
Purpureis ades hic patribus, Romæq; parenti
Austriaci interpres Regis: tum regna Triquetræ
Excipis imperio, Sirenis debitus vrbi.
Haud procul hinc, fluctu in medio notissima fama,
Aequoreo dilecta Ioui, sedet vrbis imago.
Bacchanti hanc similem videas, similemq; furenti,
Romuleos infanda Patres ad bella ciere,
Europamq; Asiamq; et barbara nomina mille,
Poscere funestæ scelerata in fœdera pugnæ.
Contra autem Hesperijq; duces, cunctiq; fremebant
Ausonidæ, bello inuisas euertere gentes,
Et scelerum duro pœnas ~~exoluere~~ ferro. ^ iniungere
Heu cladem Italiæ quantam, quot sæua tulissent

R Exci-

Excidia inuictæ gentes, quotq; vrbibus ignes;
Si pugnasse datum, telisq; occurrere telis!
Forsan adhuc nudis alberent ossibus agri.
Quis Deus hanc pestem patrijs auertere terris?
Quis tantum irarum potuit componere, & acres
Contrectare animos, & subdere legibus æquis?
Iam conferre manus, iam prælia dura mouere
Hinc atq; hinc acies instructo Marte videres:
Cum subito Europæ votis, & cælite ductu
Lectus ades, Francisce, altos sedare tumultus.
Forte viatorem veluti cum nocte silenti
Turba canum deprendit agris: latratibus instant
Infensi circum, malisq; voracibus vrgent;
Donec se septis effert, & nomine pastor
Quemq; vocat, mulcetq; manu. vocem illi vbi notam
Accepere silent, referuntq; ad limina gressus.
Interea, Fernande, tuis hic nutibus adstat
Currus odorata è lauro, cycniq; volucri
Concordes subiere iugo, quos ipse beatas
Pieridum penetrare domos auriga docebo.
Iamque Ignatiadæ, quæ adnixi viribus aptant,
Parua rudimenta ingentis ne temne triumphi.



DE

DE RECENSITO EQVITATV.

II.

QVæ noua firmatæ rupere silentia Pacis
Classica? quæ ruptis iterum iam legibus Vrbes
Arma mouent, belliq; animis incendia miscent?
An Furiæ magis, aut quis agit crudelia tantus
Corda furor, suadetq; insueta lacessere bella?
Vnde fragor, strepitusq; virum? qui terror, et ò quæ
Vox confusa ruit, mugitq; hinnitibus æther
Bellatoris equi? strictis viden ensibus arua
Collucent! en collectis gens vndique signis
Ausa manum conferre, & fœdera soluere pugna!
O bello, ò longùm Martis seruire furentis
Nata sub auspicijs Siren! semperne malorum
Ingenti sub mole gemas; & semper vbique
Pugnatasque tuas acies ex ordine, et arma,
Vera tibi pictis memorabit fama tabellis?
Et tua progenies nos hic ludibria ferri
Ferrea venturos in secula ducimus annos?
Esto olim hostili toties exercita Marte,
Siue Aragoniadum, seu Gallica signa secuta
Excidere indigna tua florida regna ruina
Videris: hocne hostes etiam tremefacta timebis
Sub duce, nec ferrum, atque ignes interrita temnes?
Si duce te patrijs auertitur arcibus hostis
Castriade, & rapidi monstrum insuperabile Martis;
Quin secura quies, quin lætis otia campis,
Atq; oleæ pingues, & pacis amabile pignus,

Plurima ab ingenti veniens vindemia Baccho,
Grandiaq; effossas mirantur et horrea messes?
Quæ præter morem discordia? Te auspice eodem,
Hæc loca non rapidi Euxino de littore Thraces
Aduenere, ferox non bello Dacus, & acer
Belga, nec extremi, vela execrata, Britanni.
An memorem exesos squamis thoracas ahenis,
Ensesque, & passim scabra rubigine tela?
An tot vt eximiæ populis felicibus vrbes
Dona ferant hostis securæ? en tenuia Seres
Externæ commissa rati sua munera mittunt;
Totaque Idumæa fertur Sidone supellex.
Ille metu procul, & belli discordibus armis
Aut scopulis conchas, & amantes saxea Percas
Aut rutilos longa venatur arundine Mullos
Piscator, cogitque leues ad pabula Thynnos:
Ast alij tentant certatim incumbere remis,
Et cursu volucres, ratibusq; fugacibus auras
Vincere, si forsan possint præuertere nautas
Incautos. primi adductis vada salsa lacertis
Dum uerrunt: hi operi instant, & vim viribus addunt.
Exoritur clamor spectantum: it plausus ad auras
Nauticus, & multo feruet sub remige pontus.
Aequora sic pariter currunt, metæq; propinquant,
Aut quà Pausilypi vergunt ad littora colles,
Aut quà piscosum gremium venientibus offert
Monticolas inter non vltima Mergelline.
Vltima sed nobis hæc secula; ferrea quando

Iam cœpere: furit totis Mars ferreus armis.
Sed quid ego queror, & vana hæc mihi somnia fingo?
State animis: duce Fernando, iam fidite paci,
O ciues: pacem campis sperate coloni.
Non ferus immensis infestat classibus æquor
Miles, & abductis vastat cultoribus arua:
Vlla nec, aut fruges falcato demetit ense,
Aut iam nascentem gressu proculcat aristam
Turba, vel antiquæ densum nemus vrit oliuæ.
Non sua captiui spectabunt pignora patres
Iussa aliena pati, & domino parere superbo,
Exulibusue nurus seruitum matribus ire.
Non tristes, non ista tuos spectacula vultus,
Classica non aures poscunt, animataq; duro
Aera sono, fractusq; tubæ vlulantibus aër.
Aspice, festiuo lætentur vt omnia plausu!
Cerne tuum decus, ò Siren, peditumq; phalangas,
Sublimesq; in equis, fuluoq; Heroas in auro.
Primus init campum Romani nominis ingens,
Haud vnquam concussa aduerso Marte Columna.
Hinc Marrucinas acies, veteresq; Sabellos
Ducit agens, Marsosq, feros de montibus altis,
Et prædura gelu, sæuoq; Amiterna rigore
Pectora; quos Sulmo, quos nobilis Adria pascit,
Illimique lacus humectat Fucinus vnda.
Vnà omnes vrget decorum formosa cupido,
Cuncta audere manu, ignauæ nil parcere vitæ.
Inde alas equitum florentibus explicat armis,

No-

Nobilibus Gueuara potens natalibus, alta
Ab radice Ducum ductis, & origine Ibera.
Daunia ei pulchram committit Apulia pubem,
Qui iuga Gargani, atq; horrentem numine rupem,
Geryonisq; tenent flauentia messibus arua,
Harposq;, Curiosq;, & ficta Pergama Troiæ,
Et Diomedeas Aetolis mænibus arces.
Ecce Vrsinorum prisco de sanguine ahenis
Agmina monstrat equis ingens Fernandus auito
Lecta sub imperio, quà prisco Egnatia muro,
Quà Barium, & Vigilæ assurgunt; quàq; Aufidus vnda
Versicolore fluit Romana cæde cruentus;
Et multum infaustæ ferali nomine Cannæ.
Hos inter, longis gens sæua hastilibus ardet
Gentilem clari Ducis Vrsam attollere bello
Sublimem: velut illa Poli se vertice summo
Semper agit, lucem nunquam passura cadentem.
Hinc duo clara Ducum tenuerunt lumina campum
Aere coruscantes, ostroq; auroq; nitentes,
Et primam ante aciem poscunt in prælia Martem.
Hunc ornat titulis, & fascibus Andria auitis:
Illum tædifero gaudens Besidia luco.
Insequitur nimbus frenantum, obuersa lupatis
Cornipedum ora indignantum: pubesq; Pelasga
Saltibus è calabris, Pylij, veteresq; Sicani;
Oenotriæq; manus, & amantes ardua Locri:
Qui Vibonis arant campos, & amœna Terinæ
Rura, nec exhaustis vnquam Nemesæa metallis;

Cæcinnum cum fonte iugum, Sybarimq; Sagramq;
Quosq; Metaurē pater ditas, quos credita Oresti
Maternum lustrasse nefas, lauat vnda Metrami:
Quos vallis felicis odorifera Terebintho
Vrbs tulit, auratisq; illabens Crathis arenis,
Scyllaq; continuis vlulans latratibus urget.
Tu quoque florentes patria uirtute cohortes,
Et Salentinis collectas undique ab oris
Heroum genitrix submittis Luspia, honores
Romuleos imitata: Lupæ dum lacte ferino
Pignora alis, roburque, & mascula pectora fingis.
Arma unà rapiunt, atque indignantia equorum
Ora alacres flectunt, qui mœnia posta Phalanti
Littore piscoso, & sacras natalibus Enni
Relliquias læti patriæ liquere Rudinæ:
Brundusij manus omnis, oliuiferiq; Neriti;
Hydraq; Manduriumq;, & pinguibus Vria campis.
Gens non ulla uenit magis ignea, cui neque pectus
Aerisonus munit thorax, neq; parma: sed armat
Viuida uis animi, & factis sibi conscia uirtus:
Et uitæ pretium generosa in morte reponunt.
Feltrius imperio rapit hos in prælia ductor,
Cuius in insigni quercus longæua paterno,
Et robur trunco, & promittit fronde coronam.
At Carrafiadum post hos it adorea prima,
Cui genus hæc gelido translatum ad litora ab Istro,
Pannonios numerat primæua ab origine Reges.
Et populos ditione premit prædiuite centum,

Centum urbes Pubes Lucana sonantibus alis
Quadrupedum, gaudet iussis parere sequendo:
Qui Triuiæ vallem, sicci qui stagna Tanacri,
Alburnumq; colunt, bifteriq; rosaria Pesti:
Et quos docta lyræ mater Venusina latinæ
Cogit, & inuentis celebris Parmenidis Hella,
Et Sirenussis urbs portu opposta Velino;
Littora cui dulci Sirenum orbata canore
Saxa inter, fremitu lugent pulsata marino.
Sed nec Abellinæ Princeps iam defuit urbis,
Diues opum, diues generosa stirpe potentum,
Cui villosa iubis sparsus Leo terga, colore
Cæruleo, cæloq; inhians sublatus ad auras
Insignit clypeum, iuuenemq; instigat anhelo
Affectare domos stellantes pectore, quò se
Viuida auum virtus ingentibus intulit ausis:
Mille olli parere viros iubet inclyta equestres,
Terra hinc Liris aquis: hinc Sarno clausa sonanti;
Terra Triumphalis Naturæ pompa, sereno
Lumine, & æterno risu dotalis Olympi.
Hi Sinuessanos campos, hi rura Fregellæ,
Lucrinosq; tenent portus, atque antra Sibyllæ:
Quiq; Laborinos exercent vomere colles,
Et Sidicina metunt spicis felicibus arua:
Accola Vulturni, Nolæq; atque accola Atellæ:
Bacca Venafranos ubi ditat, amicaq; Baccho
Massica pampineo, & vindemia clara Vesæui:
Quos Linterna palus, quos mater Aricia nutrit:

Et

Et Clanius latè stagnantibus arcet Acerris.
Vltimus ingrederis campum, sed primus in armis
Castrie: et ora tuis defixi vultibus omnes
Mirantur gressum: mirantur amabile lumen
Belligeri aspectus oculis prædulce micantem
Maiestatem animi, præ seq; Heroa ferentem.
Qualis vbi rediuiue rogo, natalia vitæ
Orsa nouæ melioris habes à funere Phœnix,
Et victor toto volitans Oriente triumphas:
Innumeræ volucres, pictisq; exercitus alis
It circum, plausuq; fremens comitatur ouantem.
Talis agit se se medijs in militibus Heros
Castriades, similis vultumq; habitumq; Gradiuo,
Et gemino ostentans lucentem sidere frontem,
Purpureum latè iacit aurum, lucis et auram.
Nutat olorinis capiti galea aurea pinnis,
Et dimissa humeris latè super arma coruscat
Ebria Sidonia ferrugine, diuite et auro;
Quadrifidoq; virens decorat Crux pectora honore.
Hunc generosa Ducum, et titulis domus alta vetustis
Per procerum fasces, per belli missa triumphos
Cum tulit: Hesperij quæ gloria nominis, & quàm
Inclyta maiestas viua sub imagine finxit!
Non alio virtus Hispana superbit alumno.
Excipiunt medium, & læto clamore salutant
Regifico cætu proceres, animæq; superbæ
Bellantum iuuenum, claro quas extulit ortu
Pulchra parens Regum Siren, atq; educat astris.

Quale rubeſcentes veniens Aurora iugales
Impellit cœlo, lucemq́, diemq́, morantem
Increpat, & iam iamq; Polo minor occidit ignis.
Occurrunt olli nemoroſa cacumina colles,
Officio prompti colles: plauſuq; frementum
Conſonat omne nemus volucrum: genus omne animatum
Naſcentem Auroram, Solemq́ ſalutat eoum:
Et Veneris, nocturnoſq; Iouis iam deſpicit ignes.
Et ſobolem Cylleneam, Lunamq; bicornem,
Gradiuum durum bello, & te, temporis auctor,
Voluentemq́ dies, & maxima ſecla morantem.
Tales tu circum captabas vndique plauſus:
Verùm alios plauſus, alios tibi ſeruat honores
Pulcher Apollo. ſuum Chariteſq; et nobile iungunt
Agmen Caſtalides. * *iterum tu Pallada pompa*
Ire triumphali, & populo plaudente videri,
Magne, iubes. tu mox iuuenum ſtipante caterua
Palladio incedes habitu, cultuq; verendo.
Ibunt, & lento alipedes calcare citabunt
Ingenio inſignes, & lumina prima Lycei.
Hi, qui naturam, penituſq; latentia rerum
Semina, & explorant intenti funera, & ortus,
Quaſq; elementa vices, et Cœli ſydera ſeruant.
Ille actus ſtimulis grauioribus æthere aperto
Vltra æui, fatiq; vias ſe ſe extulit, & iam
Mente Deos adijt, magniq; arcana Tonantis
Inconceſſa oculis mortalibus arduus hauſit.
Quiq́ Machaonias operoſis viribus herbas,

* Innuit Sapientium pompam, quam ad fundandum, auſpicãdumq; ſtudiorum domicilium per Vrbem duxit varijs quidem, ſed ad ſingulas facultates appoſitis veſtitus inſignibus.

Pæoniasq; dapes, medicataq; pocula ſuccis
Expediunt, Orciq; animas à limine flectunt.
Aut qui æqui custos populo incorrupta petenti
Iura refert, & fœda piacula lance ſeuera
Expendit, pœnaſq; vltor, & præmia ponit.
Omnes Phœbigenæ, ſenſuq; atque ore potentes.
Quos inter decus ipſe etiam, lumenq; Mineruæ
Inſers te ſocium ante alios ſpectabilis omnes
Caſtriade, iungiſq; agmen: quem plurima euntem
Primorum manus hinc, atque hinc, procerumq; ducumq;
Proſequitur, gremio quos extulit aurea Siren.
Quis te non hominum, quis non vidiſſe Deorum
Geſtiat ardentem ſtudijs, & amore Mineruæ
Ducere cecropios Sapientum rite triumphos?
O mihi tunc ſi tantum animi, ſi numinis affles
Phœbe tui tantum; ſat erit præconia quantum,
Sat quantum celebrare pari tua facta cothurno!
Quanquam nec deerunt titulos, & nomen auorum
Qui referant, & priſca Regum ab origine gentem.
Quin etiam Aſcræi nemoris regnator Apollo
Sponte tibi ſedem cedet. iam templa morantur
Te medium doctas inter, Fernande, ſorores.
Attamen interea noſtris ſi ſedibus hoſpes
MAGNE ſubis: hominum votis aſſueſce vocari,
Eſto tuis felix, & ſidera diſce mereri.



PANEGYRIS III.

HActenus antiquos ausus, fictosq; vetustas
Concelebret mentita Duces: seu fabula Graios
Seu Phrygios commendet auos. quis facta ferocis
Amphitryoniadæ? quis nouerit Hectoris arma,
Aeacidæq; animos, & magnum robur Achillei,
Seu cum Peliaci lustraret culmina montis
Arduus, & diris vnus concurreret vrsis:
Seu cum Troianos stricto mucrone maniplos
Perderet, aut rapidis cum formidandus habenis
Iliacos circum deduceret Hectora muros!
Nempe iacent occlusa suis erroribus, & quò
Nota magis, ignota magis. quem Græcia cautum
Non facit, aut dubium fœcunda licentia vatum?
Maiorum benefacta virum, maioraq; nostræ,
Nec mentita ferunt laudum præconia Musæ.
Gallæcis generosus auis, & stemmate longo
Castriadum de stirpe satus Fernandus, avenis
Alter ab occiduis oritur Latous, auitis
Nec radijs te, Phœbe, minor, nec honoribus infra.
Sidereis. gentis quis Castria nomina, quiue
Egregios pietate Duces, armisq; potentes
Nesciat, aut proceres Hispana per oppida notos?
Aspice iam priscos quanto stet vertice supra
Petrus auos, quantoq; regens Indosq; Italosq;

Im-

Imperio, geminos se se super efferat axes!
Illum vitales genitrix enixa sub auras
Non dum felici primùm transcripserat ortu:
Cum gemina auratus taurino cornua vultu
Hesperiæ regnator aquæ Tagus, extulit ima
Cæruleas ab sede comas, fuluóq; superbus
Margine consedit. qualis cùm lumine primo
Matutinus aqua consurgit Phœbus eoa.
Illum Naïades, illum venerantur aquarum
Numina. palla sinus glauco circundat amictu,
Et geminum gracilis conuestit tempus arundo.
Vix tacitus ripæ consederat: ora futuris
Cum subitis aperire modis orditur, & vltro
Talia fatidico secum sermone volutat.
Exere felices cœlestis Lucifer annos,
Queis mihi Castriaden fausto dent sidera cursu,
Quis Fernande meis sistas regnator in oris.
O ego quàm felix tanto dignatus alumno!
Ille meas ripas vbi venerit, & mea victor
Flumina sublimi pede presserit: ò ego quàm tunc
Omnibus aßurgam felicior omnibus vnus.
Ille meas clarabit opes, mea munera Cœlo
Efferet: ille Tagi gazaq; auroq; superbus
Ibit, & æternos populis indicet honores.
Iam video, nec longa dies, cùm paruus ab aluo
Emerget: cùm fræna reget: lateriq; pharetram
Suspendet, iaculisq; manus onerabit acutis.
Ibit agens per lustra feras: poteritq; uideri

Mars

Mars, si bella fremat: si spicula tendat, Apollo:
At si Musarum secedat ad otia, Phœbus.
Verùm vbi firma virum primùm te fecerit ætas
Magne puer: tibi cura minor configere damas,
Et frœnis consistere equos. maiora manebunt
Munia. quid memorem, faciles vt rexeris Indos
Imperio? quid Parthenopes vt clarus in oris
Sireni pro Rege dabis rata iura Philippo?
Iam tibi pacatis venienti obmurmurat alnis
Sebethus: tibi Nisa procul de vertice plaudit,
Et cum Pausilypo pulcherrima Mergelline.
Iam tibi præcipiti delabens gurgite Sarnus
Immodulatur aquis, & blanda voce salutat.
Sentiet Eridanus tua nomina: sentiet Arnus:
Sentiet atq; Athesis, et pronis Aufidus vndis.
Ah cupiet, frustra cupiet tibi tendere Siren
Insidias, ne iterum nostras adueneris oras.
Aduenies: dant fata viam: mea gaudia nosco.
Huc, Fernande, tuas aderis visurus arenas:
Hic tibi prima ferent nostræ munuscula ripæ,
Felices nimium ripæ. tu victor honora
Cinges fronde comam: plaudent tibi flumina: plaudent
Iugera: felici ridebit germine tellus.
Et lætus florebit ager, Cereremq; volentem
Sponte sua referent campi: tibi Bætis oliuas
Nutriet, & densi pascent vmbracula colles.
Non sic Hesperiæ fines duo fulmina belli
Scipiadæ, patrijs auxerunt laudibus olim,

Cum

Cum Pœnos fregere duces, fregere furores
Barbaricos: ut nostra tuis praeconia factis
Aucta, per et Cœlum, Cœli per et astra micabunt.
Ergo age felices educas Lucifer annos,
Queis mihi Castriaden facili dent sidera cursu.
Hæc Tagus, et cæco vitreum caput occulit antro.
Interea Pater æthereo sublimis ab axe
Intonuit læuum, & prænuncia carmina firmat.
Ilicet auratis fulsere nitoribus astra:
Cynthius assueto rutilantior emicat ore,
Et niuea partus edicit luce futuros.
Tunc tua te genitrix vitales edit in auras.
Nec mora: conueniunt Charites, et mollia membra
Purpureo strauere toro: pictisq; vicissim
Floribus, & niueis ornant cunabula sertis.
Hæc vernis immixta rosis Colocasia dextra
Fundit: at illa pijs teneros complexibus artus
Circuit: illa leui constringit pectora velo.
Fortunate puer rutilo formosior auro,
Te Charitum fouere sinus, vernumq; decorem
Afflauere oculis, & pulchros indole mores.
Quid mentita Iouis iactet cunabula Crete!
Quid Bacchum referant Thebæ! quid candida Delos
Iactet Apollineo firmata cacumina partu!
Clarior et Delo, Dictæis clarior oris
Quæ te vitales tellus eduxit in auras.
Interea cum lacte vigor dum crescit, & annis
Firmior, & primo colludit flore iuuenta:

In-

Indomitos ſeu flectis equos, curſuq; ſuperbos
Agglomerare doces gyros, ſaltuq; per auras
Tollere ſe: ſeu per ſiluas venator opacas
Getulos configis apros, & vaſta leonum
Membra necaturo ſubſternis atrocior ictu:
Seu captis gaudes ſpolijs. tibi ſæpe Diana
Parrhaſios arcus, venatricemq; pharetram
Suſpendit collo: clypeo tu ſæpe Mineruæ
Colludis; dextraq; potens in prælia tygres
Figis, & impauida contractas ægida dextra.
Verùm vbi iam primùm populis dare iura ſubactis
Tempus erat: tibi viſa Themis ſub pectore tales
Sollicitare faces. ergon, Fernande, vacabis
Semper, & ignauos duces inglorius annos?
I cape fræna manu: populos moderare remotos.
Et ſi me terris olim pepulere nocentes:
Tu mihi deſertum patrijs virtutibus Orbem
Conciliare potes: tu me deducere Cœlo,
Sidereiſq; accire plagis. age concipe numen:
I Regnator: habes populos: i ſceptra capeſſe:
Deſere iam ſaltus: melior tibi gloria ſurgat.
Hæc vbi pacatis hauſiſti ſenſibus: vltro
Deſeruiſſe iuuat ſiluas, & luſtra ferarum:
Regnorumq; capis moderamina. primus Eoas
Præſes habes terras: mox te Sirenis ad vrbem
Regales duxere vices. Quis magna reuoluat
Imperij monumenta tui! quæ ſidera tangit
Teſtis erit moles, altis imperuia pinnis,

Qua-

Quadrupedum quondam stabulum, nunc Palladis ingens
Hospitium: testis patrij quæ rupe Vesevi
Castrias vda fluit: testis vesana Mephitis,
Quæ populis dudum pestemq; luemq; ferebat,
Nunc stagnata palus: testis quæ amplexa lacertis
Te doluit Siren patrijs decedere terris.
Quis super his magni virtutes pectoris addat?
Musarum quis dona ferat, quis Palladis artes?
Quantus Io vigor ingenij! quæ laurea mentis
Ingenuæ! quæ pacati clementia cordis!
Casibus in dubijs, aut quæ prudentia certi
Consilij! qui Martis honos, quæ gloria pugnæ!
At nunc Hesperias quando regnare per oras
Fata iubent: tu nostra memor sub monte reconde
Mœnia, nec toto labatur pectore Siren.

PROTREPTICON.

IV.

Accipe pacato magnum, Neptune, profundo
Depositum. Fernandus adest, & præpete pontum
Remigio subigit. molli caput exere fundo
Nereidum comitante manu, quæ cærula gyro
Ambiat, & refluo ludat per stagna natatu.
Illa propinquanti nectat noua suppara malo:
Altera surgentes æquato marmore fluctus
Comprimat: illa pigras pellat per inania nubes:

Illa recedentes ad carbasa conuoc et auras.
Pars Zephyris aperire sinus, pars certet in vndas
Imposuisse manu curuæ moderamina puppis.
Tu pater, & domitor, quem coniurata tremiscunt
Flamina, ventorumq; minæ, pelagiq; procellæ;
Tolle caput, lætoq; vagos circumspice fluctus
Lumine, ne quà trucis vis imperterrita Cori
Flabra pruinoso per nubila misceat Austro.
Arctius obiecto Borean, Eurumq; Notumq;
Aeolus occludat ferus obÿce. nullius ira
Infremat: at placido Zephyrus per inane volatu,
Perq; fretum saliente fuga colludat, & omnem
Impleat adspirans felici murmure puppim.
Surge pater Neptune, acres compone furores
Assurgentis aquæ: magno scopulosa tridenti
Saxa feri, & tumidas sedato gurgitis iras.
Qualem te medio memorant è marmore quondam
Exertantem humeros, & cærula mota prementem;
Cum pius Aeneas, & Dardana classis, aquoso
Huc, illuc iactata salo, per et æquora, et vndas,
Saxa per, et scopulos, atq; æquoreos labyrinthos
In breuia, & Syrtes surgentibus incidit Euris.
Vix Siculo Phrygias è littore soluerat alnos
Aeneas, cum dira vocans in prælia Cauros
Aeolus immittit. proh quod, pater Aeole, tantum
Commisisse nefas potuit iustissimus vnus!
Ille, viden, patrios tumefacta per æquora Diuos
Pergameumq; pius portat Vestamq; Laremq;

Nil

Nil iustæ valuere preces: ruit improbus alis
Auster hyperboreis, & disijcit æquore toto
Troiano cum Rege rates: ni, magne, vetares
Arbiter vndarum. stagno, Neptune, profundo
Te rapis, & placido componis gurgite fluctus.
Haud equidem virtute minor tibi creditur heros
Castrius. ille pio proh quantùm numine, quantùm
Imperioq; potens, animoq; potentior æquo.
Ille vel ætherios præstet pietate maniplos:
Ille vel astriferos vincat fulgoribus ignes:
Ille potens sub iura procul Garamantas, & Indos,
Continuit; faciliq; manu Gangetidis vndæ
Extulit ad cælum vaga flumina; nec minus arces,
Parthenopea, tuas facili dum flectit habena,
Vsque sub occidui patefecit marginis oras.
Testis anhelanti metuendus ab igne Veseuus,
Castriadæ quid dextra ferat; quæ pectore virtus
Excubet. ille olim piceas per inania flammas,
Et caligantes immixto sulphure nimbos
Erupit procul igne fremens. volat aëra circum
Flamma vorax, manifesta ferens incendia: pallent
Sidera nigranti iubar occultantia velo:
Aret ager: siccis labuntur floribus herbæ:
Intereunt segetes: pereunt sata læta, ruuntq;
Arboreæ frondes: fluuiorum exæstuat humor
Aridus, & totis moriuntur gramina campis.
Ipsa metu Siren expalluit: ipsa solutas
In cineres abijsse pauet; dum plurimus vrbes

Ignis habet, ruptisq; furit Vulcanus habenis!
Hac dedit ille tenus flammas, hac extulit ignes
Fernando regnante tenus. viden, vt cita summo
Lympha supercilio delabitur? amnibus ignes
Compensat: refluæ currunt pro sulphure lymphæ!
Respice, (posteritas mihi credite) respice, Pallas
Quo rediuiua loco doctas nunc explicet artes!
Si nescis, locus ille gregi quondam aptus equino,
Inclusos seruabat equos. at Castrius heros
Armorum cui cura minor, studiumq; Mineruæ
Pectore primæuis iam tunc adoleuerat annis:
Imperat antiquas attollere Pallada sedes.
Hæc tibi dona tuus, Siren mitissima, Princeps
Petrus habere dedit, quondam maiora daturus.
At nunc, me miserum, Tyrrhenum classe per altum
Alite nasse parat. tortos iam nauita funes
Rumpit, & obuersis intendit lintea velis.
Iam leuis æquorea Boreas illabitur vnda,
Et tacito spirans ad carbasa iungitur Euro:
Iam pelagi dextra murmur ligat Amphitrite:
Iam molles substernit aquas, et cærula sedat.
I*nterlabentem fulgoribus Oriona*
I*nspice! pandit iter radijs, nudatq; nocenti*
Ense latus, pluuijq; minas auertit Olympi.
Quin & Amyclæi concordi sidere fratres
Adspirant, rutiloq; ratem fulgore salutant.
Quis tibi tunc, Siren, spectanti talia sensus?
Quo sue dabis gemitus? iam cærula verberat alnus;
Iamq;

Iamq; recessuræ luctantur marmore tonsæ.
Nosco equidem: longùm lacrymis deperdita Siren,
Indulgere iuuat, questuq; auferre dolorem.
Incipe Castriaden verbis affare supremis.
Audimus. tales erumpis pectore fletus.
Hæc tua Parthenope (si fas mihi dicere) Castri
Crudelis, deserta loquor. Quid Iberia tantum
Te rapit! addem oras: non est quod diuitis alni adde moras:
Remigio vada salsa ruas. huc lumina, Castri,
Huc geminas conuerte acies. mea funera saltem
Aspicias: nunquam te decedente sub auras
Aetherias, nunquam vitali in luce morabor.
At surda bibis aure preces. quid carbasa ventis
Infidoq; ratem pelago committis? an Euros
Non expertus adhuc, dubijq; pericula ponti?
Scilicet hoc fuerat, terris quòd missus Iberis
In mea veliuolam torsisti littora pinum!
Quòd mea felici moderatus pergama fato,
Credideras nostris te mœnibus! ò mihi nunquam
Fortunæ bene nota fides! sperauimus annos,
Principe te, longos læto deducere seclo.
Me miseram, vix tergeminos Latonius orbes
Lustrat, & hinc patrias properas visurus arenas.
Iam memini: non ista mihi cernenda dedisti,
Cum me sublimi cœlum sperare iubebas
Vertice tacturam, supraq; Borysthenis ortus,
Supra Arabas, Maurosq; & pictos ora Agathyrsos
Protenturam arces, & claræ nomina gentis.

Nunc

Nunc vbi prima fides? vbi iunctæ gloria dextræ?
Siccine destituor? tantum perferre dolorem.
Mene putas, Castri? non hæc Deus aspicit æquis
Luminibus: vel siste ratem, vel nostra cruento
Pectora scrutatus detrude in tartara ferro.
Scilicet Aeneæ Dido confecta dolore
Occiderit, nigroq; caput damnauerit Orco:
Fernando cedente, mihi sit vita superstes?
Ne tantam mihi finge necem. per sidera testor
Crudelis, per ego has lacrymas, luctumq; meum te,
Desine remigijs agiles propellere puppes:
Desine Parthenopen immani perdere letho.
Irrita sed, video, rapiunt suspiria venti,
Surdior heu Euris, & Sithonio Aquilone
Alta secas, pelagoq; ratem concedis aquoso.
Quòd si sæuus amor pateretur dira precari
Me tibi, Castriade: quid non contempta mouerem!
Miscerem Boreas, miscerem cærula nimbis:
Quàm metuenda foret rabies insana Charybdis,
Et Scyllæa feris facies circundata monstris,
Et quæ saxa rates fregere Capharea Graias,
Syrtesq; scopuliq;, & monstra natantia Cete!
Sed me noster amor cogit tibi fausta precari.
I victor: dubium felix metire profundum.
Nulla maris noceant dispendia: nullius obstet
Ira Noti. quin magna pij tibi numina ponti,
Aeoliæq; animæ faueant. I victor in altum:
Annuit en Auster: Tethys vocat omnibus vndis.

Rumpe moras: non vela moror. quin lumina nunquam
Auertam; celerem donec spectare carinam,
Carbaseosq; sinus potero. tum victa dolore,
Cum tua mi nusquam spectentur lintea: ferro
Incumbam, dulciq; artus in morte relinquam.
Hæc Siren, tristiq; comas obnubit amictu.

Idyllion.

PROTEVS.

V.

ET nos vulgatos patria referamus in acta,
Quos animo dudum Siren alit ægra dolores,
Pulcher, vbi Hesperias longum meditatur in oras
** Daphnis iter; totumq; altis stat puppibus æquor.*
Haud equidem illidam refractas puppibus vndas
Irritus, aut pingui infelicem sedulus algam
Colle feram. vos ò Craterides heroinæ
Este bonæ: facilisq; adeas Neptune carinam
Cæruleos pelagi tentantem irrumpere fluctus:
Meq; inter scopulos benèolentem carpere muscum,
Da pater: haud vni decus hoc, Neptune, dedisti:
Sint alijs hederæ fronti, & Parnassia laurus:
Me iuuat æquoreæ flores libare Camænæ:
Nam scopulis etiam, & patrio sua gloria musco est.
Tethyos Eubææ quà murmure Nisa quiescit,
(Iactatis olim hæc statio iurata magistris:

*Sub Daphnidis nomine Petrum de Castro, sub Alconis F. ī ciscum de Castro allegoricè intelligit,

Hu-

Humida moris erat nam suspendisse potenti
Lina maris regi, siue hic mactare iuuencum)
Siderea sub nocte senex dum dædala seruat
Vimina, Hylam vocat ad se Milco, Hyllumq; nepotes:
Hamo Hyllus, pontum acer Hylas lustrare tridenti :
Atque ait. Alternis, pueri, tentate Camænas,
Assonat infracto dum cærula murmure Tethys,
Si quid habes Alconis Hyla, seu Daphnidis Hylle.
Præmia & ipse addam, & cælo formosa sereno
Argenti guttas liquidi dat munera Phœbe.
Tunc iussus minor infit Hylas, scopuloq; resedit.
Fortunatum Alco, faustum piscantibus Alco
Sidus adest: feriant Nereides aurea plausu
Astra, nouoq; astris assultent æquora plausu.
**Pulcher ab vrbe Alco nuper cum forte veniret,*
Quam septem memorant subnixam collibus vrbem,
Vidi ipse ingenti famulantem Nerea classi,
Nympharumq; choros, nec non delphinas in auras
Torquentes bifidis ridentia marmora caudis.
Ex illo me fors vultu respexit amico.
Postera namque dies, astrorum Lucifer agmen
Egit vbi inuitum, radijs maioribus aucta,
Increpitansq; moras, portis se effudit Eois:
Et mihi ter Prochyta Delphin resiliuit, & auras
Dexter sidereas hausit, seq; abdidit vndis:
Terq; salutatus, Capreas vbi cessit in altas,
Hinc pinguem admonuit se se deducere prædam.
Augurium læti sequimur, nec vana secuti.

* Nam cum Hispaniam repetiturus propediem esset Petrus è Castro: ad eum visendũ Franciscus è Castro Frater Roma Neapolim venit, vbi perstitit aliquandiu, Regisq; vicesobtinuit.

Hinc

Hinc mihi ſemper eris piſcanti gratior Alco,
Quàm qui mugilibus, noſtrum cum turbidus Vſens,
Spem culti populatus agri, contendit in æquor;
Et frutices, notáq; trahit vligine limum.
Nec talem excipiunt Tyrrhena per æquora Lunam
Oſtrea, Phœbeos latè cum pota nitores
Orbe rubet pleno fraternis ebria flammis:
Te qualem excipiunt, Alcō, Sebethides, & quas
Siren muſcoſi ſeruat crateris in alueo.
Atq; vtinam Auſonij Tethys regina profundi
Te peteret ſibi connubio, caperesq; ſecundam
Cærulei ſortem imperij, ſociumq; regendo
Neptunus pelago acciret, magnoq; tridenti:
Haud vlli audaces peregrina per æquora nautas
Iactarent fluctus; ſurdum nec littus haberet
Alcyonem viduis rumpentem queſtubus æquor.
Quin vbi, Sicelides, veſtras aduenerit vrbes:
Scylla ſub Alconis diſcet miteſcere regno:
Et proris infida fidem ſeruare Charybdis.
Fidite iam nautæ, & fluctu date vela Sicano.
Tunc, gelida vt poſſim vacuus requieſcere nocte,
Tecum ego Sicanas ibo piſcaeor in oras,
Alco, vbi ſponte ſua venient ad retia piſces,
Sargus, & exiliens mugil, mulliq; rubentes,
Aequoreusq; Gyges, cum rhombo & polypus albo.
Iamq; vndas, Arethuſa, tuas oblitus, & ignes,
Ignotis gelida ripis Alpheus ab Arcto
Spumeus Alconi properat impendere cultus.

Interea paucis hic te donamus echinis,
Quos tibi Hylas reperit spiris maioribus: obstent
Parca laborantis quamuis dispendia Lunæ.
Hæc Nisæus Hylas: cum cæperat æmulus Hyllus,
Formosumq; sacris ornabat Dapnida sertis.
At subitò auditus pelago fragor, ænea quantum
Rostra sonant, cùm forte vocant sua classica Martem:
Protea *Obstupuere omnes: tunc Diuum Nerea Milco,*
Ecce, ait, ò nati, atque animum ni sustulit ætas,
Talem se Diuum meminit vidisse Palæmon.
Ille volat, bipedesq́, iugo maris esseda laui
Iungit equos, teriturq; rotis spumantibus æquor:
Donec, Pausilypus quà Tethyos incubat vlnis,
Constitit, & celsa vastas ad pabula Phocas
Arce vocat, censetq́ pecus, tum carmine mulcet:
Carmine quo montes pelagus deducat in altum,
Sistat et hibernas fluctu pendente procellas.
Quod memini, nisi forte vetas, Neptune, referri,
Mortali diuina sono, sic incipit ille.
Carpite odora hilares iam gramina, carpite Phocæ;
Dum regit imperio Sebethi Daphnis in aula
Europæ partem egregiam, quo maxima SIREN
Ausonias regale inter caput extulit vrbes.
Carpite odora hilares iam gramina, carpite Phocæ.
Non posthac folijs, non vos lentiscus amaris
Lædet; non sicca sternet piscator in alga
Exitium in miserum, non cuspide figet ahena.
Carpite odora hilares iam gramina, carpite Phocæ.

Da-

Daphnis littoribus reuocat Saturnia nostris
Regna, iterumq; premunt lactentia flumina ripas.
Hæc ego vos ducam saturas ad flumina potum.
Carpite odora hilares iam gramina, carpite Phocæ.
Daphnide felices quid non speremus! Erythra,
Nostra tibi certant paribus nunc ostrea gemmis;
Perq; rubent scopulos ramosa corallia nostros.
Carpite odora hilares iam gramina, carpite Phocæ:
Tuque biceps flammis olim execrate Vesæue
**Daphnidis imperio liquidum damnatus in amnem,*
Damna fluens tandem populis antiqua rependis.
Carpite odora hilares iam gramina, carpite Phocæ.
Daphni tuum imperium cuncti iuuere Deorum;
Te mare veliuolum, tellus te Principe vernat.
Rumpitur inuidia Codrus, rumpatur et Ægon.
Carpite odora hilares iam gramina, carpite Phocæ.
At quid ego gelido astringo mihi sanguine venas?
Quæue, pater Neptune, finis prædiscere fata?
Dij patrij hoc omen regnis auertite vestris.
Linquite odora, graues iam linquite pabula Phocæ.
Daphnis abit, ruptoq; nouis vndare Vesæuum
Fœdere prospicio flammis. mæstissima Siren
Et videt, & nequit ereptum cor ægra morari.
Linquite odora, graues iam linquite pabula Phocæ.
Heu vacuas iterum conchas venabere Proteu!
Infelix Proteu, pecus infelicius, en vt
Mox dabitur patrijs legisse corallia saxis.
Linquite odora, graues iam linquite pabula Phocæ.

* Ob aquam è Vesuuij radicibus Petri imperio ductam.

Nulla mari plenis voluentur flumina ripis
Lactea: quin lacrymis æquor turbatur amaris.
Tempora sic redeunt sine te Saturnia Daphni.
Ite graues aliò potum post gramina Phocæ:
Dixit, & ingenti gemitu se librat in vndas,
Nereidesq; simul suspirauere puellæ,
Inarime, Prochyteq; Aegleq;, et Nisa sorores,
Pausilypusq;, et Pausilypo edita Mergelline,
Mestæ omnes, riguis suffusæ fletibus omnes:

DISCESSVRO PETRO SIREN.

VI.

VErte retro proram: quid te fallacibus Euris
Credis, & infido committis carbasa ponto?
Nonne triumphales post diruta Pergama puppes
Euboici fregere sinus? narrem quid Vlyssem
Plorantem in scopulo, dum naufragum vndiq; fluctum
Conspicit eluctantem, & terga aduersa prementem?
Nulla fides Nereo: nullæ senuere carinæ.
Proh Dij, quid iuuit terras discludere ponto?
Quid siccas monstraße vias? en eruta crebro
Tonsarum flictu canescunt æquora; quamuis
Naufragus extructas suspiret mercibus alnos,
Relliquiasq; legat cæcis mercator in vndis.
Quid si non Hyades, non auro armatus Orion,
Non Capræ imbriferi fœtus, pelagiq; Tyrannus

Adriaci irato staret Capricornus Olympo:
Tanta procelloso decurreret æquore puppis?
Adde tot ambiguas Syrtes, fera saxa Maleæ,
Tot freta, tot canibus latrantem rauca Charybdim.
Ite rates curuæ velocem accersere mortem.
Sit tibi cara magis pulcherrima Mergelline
Castriade, quà candenti tibi regia surgit
Marmore, & astrifero miscet se se æmula cælo.
Illinc Nereidas manibus per mutua nexis
Ludere prospicias, choreasq; inducere lætas.
Ipsa ego maternæ tangens testudinis aurum
Non meritis ingrata, tibi remorabor inerti
Lapsu vndas: quin sæpe meo officiosa canori
Horrida clamosum requiescent flamina murmur.
Flecte ratem, neue Hesperias per saxa, per vndas
Tende domos. ideo contraxi piscibus æquor*
Molibus iniectis, quà nunc ceruice feroci
Insultans sonipes, equitis fouet otia nostri;
Ne velles vnquam pelago, mea cura, profundo
Fidere, cùm fugiens solemq; æstumq; petebas
Aurarum assiduis palatia pulsa flabellis.
Hic igitur, ne temne preces Heliconius heros,
Quercubus auditas chordas moderere; Maronis
Quà prope grandiloqui lauro sub Daphnide spirant
Extincti cineres: animantq; ad carmina vates
Antra Aganippeis non postponenda fluentis.
Si libet excusso iaculum vibrare lacerto,
Et spumantis equi soluens in prælia cursum,

* Nam via nuper strata lapidibus, qua ad Pausilypi Collē velbigis adueh i, vel pedibus iter facere quispiā pro arbitrio possit.

Siluicolas vrgere feras, aprosq; recuruum
Dentem exertantes transfigere cuspide ferri:
Sangrius en Princeps lucos indagine cingit,
Et labyrintheis ambagibus vndique claudit.
Aspice, vt attonitæ sistant ad retia damæ:
Vt lepores pedibus diffidant: cornua ceruis
Excutiat pauor, & pecora inter inertia crudus
Frendat aper, rigidosq; occlusus inhorreat armos;
Et dum nulla fugæ via panditur, infremat ardens,
Et ruat æratas vltro moriturus in hastas.
Ne tantum mihi tende odijs, vt credere malis
Te pelago, quàm Sirenis committere portu.
Mene fugis? non subiecti tibi dedita Regni
Sceptra mouent animum, non leni flumine labens
Sebethus, non Pausilypi locus inuius ægris
Curis, non habitata Deo spectabilis Aegle,
Non moritura mouet crudeli funere Siren?
Haud Deus ogygius pictis me transferet astris,
Vt Cressæ niteam prope fulgida serta Puellæ.
Cærula cui fugiens per inhospita deseris ægram?
Siste precor: quid vela meo subdicitis ori
Fernandum? ah quantum possit, nescitis amorem.
At si mens adeò tibi certa reuisere, Castri,
Occiduasq; domos, & culmina celsa Pyrenes:
Extremum hoc, oro, miseræ da munus amanti,
Da fratris vultu possim lenire dolorem;
Da Regno interea subeat: ne vita relinquat
Sensus, atque vltro nigris tumuletur arenis.

IN ILLVD PSALMI LXXI.

Et permanebit cum Sole, & ante Lunam in generatione, & generationem.

Cum Petrus inter prandendum vario linguarum idiomate, quia vno pro dignitate non poterat, laudaretur.

S I L V A.

V I I.

NE propera Sol alme: citas frænare quadrigas
Ne pigeat: melior superest peragenda viarum
Pars, Pater ò lucis, pulchraq; auriga dici.
Ille tuum iubar illustrat qui conditor Orbis,
Ille senescentis reparans dispendia Mundi
Cæde sua: luce ista Orbi sua pandere facta,
Et, duce te, decorum diuina insignia gaudet
Prodere, sepositos seu serus adibis Eoos,
Seu citius Occiduos rediuiuo lumine visas.
Tu quoque dein quoties sub signis fulgida coges
Agmina: munifici toties meminisse Tonantis
Disce alti regina Poli, disce arbitra noctis.
At quid ego? anne ipsum valui Titana supernis
Huc traxisse rotis, niueam aut deducere Phæben
Carminibus: noua quando oculis lux fulgurat, vt te
Aspicio, FERNANDE, Poli lux aurea Iberi,

Has

Has oculis lustrantem ædes, et luce beantem?
Scilicet extremas quoque valles luce colorat
Cynthius, & vili radios non denegat algæ.
Iamq; ò rumpe moras: cœptos absolue meatus
Phœbe Polo. nouus hic Titan, quo sospite, laudes
Numen amat; Superum duce quo se gloria pandet:
Implebit, Sol alme, tuas partesq; vicesq;.
Quis Castro neget hoc? rapidis Sol omnia flammis
Si lustrat: Præses Nabathæis Castrius oris
Vexit in Europam Oceani de littore lucem.
Fœcundat si Phœbus agros: quas, Principe Castro,
Quas tellus non fudit opes? ille ordinat annos,
Ille dies, anniq; vices interfecat: vrbes
Legibus hic, iussisq; vnà distinguit, & ornat.
Disperam, nisi, noxa procul quando exulat, vrbi
Quando meæ flos pacis olet, Charis aurea ridet;
Nubila pellentem Castrum, tenebrasq; fugantem
Aspiciam, primo quales Sol discutit ortu.
Cum ficti simulacra ciet medio agmine Martis:
Nonne die in media, Phœbo par torquet habenas?
*Quid? cum * Margaridi funebri in veste parentat?*
Condentem Titana diem, luciq; parantem
Vidimus inferias. Quæ vana biuerticis, Hellas,
Culmina Parnassi Phœbo, fontesq; dicasti?
Castrius in viridi iussit modo surgere cliuo
Nobile Musarum hospitium, gentisq; togatæ
Grande decus, Sophiæ pater ipse, & gloria Pindi.
Cerne Vrbe in media latices, quos vbere vena

* Intelligit funebrem pompam, quam duxit, cum demortuæ Hispaniarum Reginæ ab omni nobilitate parentatum est.

Vel Permessus agit, vel Castria fontis origo.
Verum ego quid laudes, miserum me, necto? quid ultra
Mox discessurum canimus Titana? dolenti
Ingeminat luctus præsens iactura bonorum.
Saltem, ò Sol alter, densas procul ore tenebras
Discutias, Francisce, tuo. si Castoris ille
Splendor abit germanus: adhuc tua, maxime Pollux,
Succedat subitura vicem lux aurea fratris.
Pone modos, mea Musa: Orbem Titana citatis
Lustrantem bijugis nequicquam sistere tentas.
Ite ergo, gemini ò Soles, clarissima Mundi
Lumina, siue genus regali ab origine ductum,
Seu decora aspicio per te Orbi inuecta, propago
Castria: ferte faces, tenebrasq; resoluite. vestro
Rideat aspectu tellus, mare gestiat, æther
Insolito fulgore micet: beet alter Iberos,
Italiamq; procul lustret: vehat alter in oras
Luminis imperium Siculas, Libyamq; propinquam.
Tu verò ne, PETRE, vices, ne desere Phœbi
Munera. Parthenopæ si te te subtrahis: inter
Vnica nox mediet, nox differat vnica lucem.
Ac licet in summa Cœli te parte micantem,
Distantemq; Italis prælongo tramite Iberus
Suspiciat: solare hyemes, solare recessu,
PETRE, tuo in cæcas abeuntia pectora nubes,
Præsidium Italiæ magnum, cura vna Pyrenes.



ORATIO
AD EXCIPIENDOS IN IDEM COLLEGIVM NEAPOLITANVM SOCIETATIS IESV
COMITEM LEMENSIVM, ET COMITEM CASTRI, VTRIVSQVE SICILIÆ PROREGES.

VINCITIS humanitate maiestatem, Principes Excellentissimi, qui Occidentis, & Orientis fasces imperij huc submittitis; vt susceptum Societatis nostræ patrocinium nunquam interiturum, insigni beneuolentiæ testimonio probetis. Cælum hoc, hæc atria, hæc domus iure hodie gestiunt, sibiq; ac nobis incipiunt maiora videri. Musæ etiam loci huius indigetes, quæ asperioribus addictæ disciplinis, citharæ fidibusq; nuntium remiserant: vestro, Principes, aduentu, quasi ducrum aspectu Apollinu, qui præesse seuerioribus, præire hilarioribus Musis & sciant, & velint; vtroq; accinctæ habitu, ad vtrumq;

ſe chorum expediunt. Ipſe ego & ſemper elinguis, & in ſenectute infans, neſcio quo mentis impetu, quo animi ardore non extimui in veſtram lucem primus incurrere. nempe exeruere vires omnes ad animi, corporiſq; veſtri ornatum NATVRA, VIRTVS, DOCTRINA, neq; illas dumtaxat effudere opes, quæ admirationem, venerationemq; habent maximam; ſed cumulatius etiam addidere, quæ ad amorem, obſequiumq; alliciunt. Veſtræ quidem lux potentiæ, regijq; fulgor ſanguinis, rerum geſtarum gloria, ſplendor eruditionis, animuſq; cœlo perſimilis, ſerenus, inturbidus, ac pluribus etiam virtutibus decorus, quàm cælum ſideribus, perſtringunt ingenia, tacitamq; venerationem exigunt. ſed regia iſthæc comitas, decusq; virtutum affabilitas, fauent ſtudio obſequentium, effœtasq; & ſteriles mentes, vberes diſertasq; efficiunt, præſertim in tanta claritate natalium, ac uirtutũ. magna lux, magna dignitas veſtri ſanguinis, ac generis: quam ego, niſi veſtra modeſtia prohiberet, ſummam eſſe vere, diſerteq; dicerem. Quid enim ad ſummam familiæ dignitatem requiritur? vt ducatur à Regibus? ducitur. vt Reges, ac Cæſares pepererit? peperit. vt cum ampliſſimis familijs in ſocietatem ſanguinis tranſierit? tranſijt. vt ad exteras, diſſitaſq; gentes gentilitium ſpendorem intulerit? intulit. vt ab honeſtiſſimis, ſplendidisq; domibus ad connubia expetatur, queratur? expetita, quæſita eſt, hodieq; quæritur, expetitur. non laudibus veſtris ſeruio, Principes, ſed naturæ muneribus, ſed ſtudijs omnium, ſed obſequio meo. Viuit, viuetq; æuo longius claritudine ſua, claritudine

ſtirpis

stirpis, ac generis Ferdinandus Vermundi Legionensium Regis filius, qui in Monforte splendido Galaciæ oppido Comitum Lemensium domum, multis regnaturam seculis, multis daturam iura gentibus domum primus ipse constituit. Claruit, totamq; clarescet in æternitatem Nunnius Fernandus, Ferdinandi filius, qui acceptam à parentibus opum, ac ditionis amplitudinem, magno copiarum, magno maiestatis incremento posteris tradidit: qui præter Comitum Lemensium dominatum inter primos Castellæ Comites, principem auctoritatis, ac potentiæ locum obtinuit. quo in principatu extulit se supra vrbes, ac regna Castrum Xeris; nobile cum primis Castellæ oppidum, quod ita vestro paruit imperio, vt in societatem venerit gloriæ. nam & splendidissimæ familiæ cognomentum dedit, & suo illustratum munere, Solem æquauit cursibus, splendore superauit. Felix nomine, felix omine Castrum Xeris; cui, multis posthabitis vrbibus, contigit vt Castrium decus, domusq; abs te nomen acciperet, fortunatissimumq; Lucretiæ Gattinariæ coniugium, alterius imperio Castri auspicarere. Viget, semperq; recens vigebit florentissimorum memoria connubiorum, quibus vester sanguis per regias familias diductus, Procerum Hispaniæ domos insigniuit. Deus immortalis, qua cupiditate, quibus votis Nunnij Fernandi Castellæ, & Lemensium Comitis filiam expetiuit, duxitq; vxorem Legionensium Rex Garsias! qua cupiditate, quibus votis eiusdem Fernandi filiam alteram Semenam, vxorem habuit Nunnij Rasuræ filius Consaluus Nunnius, qui felicissi-

Figueroa

Mariana l. 8.c.2.

Franciscus Zazzera de familia Castria.

Mariana ibid.

licissimis rei Christianæ auspicijs Consaluum Fernandum ex illo coniugio suscepit. Quem virum! quem Heroa! Religionis præsidium, belli fulmen, domitorem Maurorum, virtutum columen, Regum socerum, parentem Regum, nulli veterum Heroum imparem, plerisq; maiorem. qui ita se ciuibus probauit suis, vt abolitum Comitis nomen, & cum iudicis nomine post diram, perfidamq; Comitum Castellæ internecionem commutatum, popularium studio sponte delatum, primus omnium vsurpauerit. Quid si cetera cognationis vestræ lumina, columina Orbis terræ persequi dicendo vellem? recenserem Petrum, *Alfonsi XI. Castellæ Regis nepotem, cui Isabella Ferdinandi Ruizij Lemensium Comitis filia desponsa est. repeterem Violantem Sancij Regis filiam, quæ Ferdinando Ruizio Castrio data est in matrimonium. referrem Helenam Lopez, quæ Aluaro Castrio superstes, iniuriam se facere nobilissimo coniugi existimauit, si alteri, quàm Regi, nuberet. ita Sanctio Lusitano Regi nupta est. non omitterem Agnetem Ferdinandi Castrij filiam,* Petri *Lusitanorum Regis coniugem. euoluerem Laras,* Cueuos, *Toledos, Sandouales. quid multa? ad præcipuos Hispanicæ nobilitatis fontes digitum intenderem; qui prono semper illapsu, in alueum vestræ nobilitatis incurrerunt. sed allicit me, magnoq; ad se impetu rapit Dionysius Bracharitani Ducis filius, Ioannis primi Lusitanorum Regis abnepos; qui sibi Beatricem Lemensium* Comitissam *thalami sociam adiunxit. ille inquam Dionysius, à quo vos,* Principes *Excellentissimi, virili prole transmissam originem trahitis: quo auctore, quo*

Thomas Fitzherbertus in ep. dedicator. Zazera ibid.

tra-

traducè fulget etiam in vestra domo Anglorum, & Gallorum Regum Sole clarior sanguis: quem Dionysio Lusitani Reges, Lusitanis Regibus Ioannes Dux Lancastrensis infudit; vt ignorem quid magis admirer, an auctorem generis, qui talem genuit sobolem, an sobolem ipsam, quæ ita è stirpe subit sua, vt generis vincat auctorem. Iam verò quis progenitos vestra ab domo Duces, Principes, Imperatores præstituta mihi breuitate enumeret? quot extitere Reges, ac Cæsares ex vna illa Eleonora Petri Ferdinandi Lemensium Comitis pronepte, Ferdinando Iusto Regi Aragoniæ, Ioannis *Castellæ Regis filio desponsa? an non ex illa stirpe Reges Aragoniæ, Lusitaniæ, Castellæ? an non ex illa stirpe, vt minora sidera omittam, Sol ille christiani Orbis fulgentissimus, Hispaniarum Rex Philippus? an non ex illa stirpe christiani rectores Imperij Maximiliani, Caroli, Ferdinandi, Rodulfi, Matthiæ? Vidit, viditq; Neapolis, Sicilia, Nauarra, Lusitania, Castella, Germania, decora vestro sanguine diademata. Mirabar equidem prius Petre Princeps accuratissime, cur tanto studio, tanto labore, nullo tuo emolumento, magno ualetudinis, ac rei familiaris detrimento publicum commodum, publicam salutem quæreres? quid hoc rei est? ita mecum animo reputabam. quid hoc rei est? cur homo valetudinis tenuissimæ, abstinentia, continentiaq; incomparabili, nullo sibi proposito præmio, magno vitæ discrimine, nunquam intermisso labore, intenta cura, ac sollicitudine, communi bono, et vtilitati seruit? respondebam ipse mihi. Finxit hunc ipsa Natura expoliuit christiana Virtus ad innocen-*

centiam, ad frugalitatem, ad temperantiam, ad honestatem, ad beneficentiam, ad omnes deniq. virtutes laudesq; summi, reiq; publicæ studiosissimi Principis. nec me fefellit opinio: sed tamen maior quædam cura, ardor animi, studiumq; impensius eminebat, quàm cuiusuis Principis, aliena tamen curantis, industriæ paterentur. nimirum agnoscis in hoc solo maiorum tuorum vestigia, quæ regio sanguine purpurascunt. intelligis cognatione, quæ tibi cum Philippo Rege, longa proauorum serie intercedit, non alienis te imperare, sed tuis, fidemq; in communi salute, vtilitateq; procuranda Regi præstitam, tibi etiam, ac genti te tuæ præstitisse. Ergò vt, quæ dici possunt omnia, vno verbo concludam, Oceanus, Oceanus, inquam, nobilitatis Austriacæ *ad se etiam vestræ domus, vestri sanguinis fontem deriuauit; qui tot iam secula fluxit purus, ac purpureus; in quo pacis artes vniuersæ, quasi in propria sede, conquiescunt. in quo belli gloria spiritum vitamq; duxit, præcipuè aduersus Mauros, in quos, vt sæpe alias, tum Iacobo Apostolo spectante, vnus maxime triumphauit Imperator exercitus Aluarus Castrius. in quo ita pietas gliscit, ac regnat, vt illo vecta alueo facile in Cælum influat. Vtinam hanc mihi facultatem breuitas tanta concederet, vt enumerare possem insignium documenta virtutum, quibus cælum, ac terras domus vestra decorauit: non mea me infantia deterreret, quem vestræ gentis tutelaris Angelus præses, indexq; pietatis, quem vester proauus, nouum Cæli sidus, prælata face sanctitatis inflammant. Multa, sunt Principes excellentissimi, in vestra domo virtutum sidera, infinitum religiosissimo-*

simorum hominum, ac mulieru m agmen, sed vnus vicem Solis obtinet, ductor agminis v nus, vnus piissimi Imperator exercitus, Franciscus Borgia, quem cælo receptum, beatisq; mentibus additum, lucem Solis septemplici luce superare Ecclesia Romana haud dubia face dignoscit, se seq; tanto auctam religiosi hominis incremento propediem gestiet.

Magno vobis, magno Hispaniæ, magno Italiæ commodo, & ornamento fuit Catharina Zunica Sandoual, cuius incomparabili prudentia patuit posse homini feminam mascula virtute antestare. incredibilem raræ virtutis genitrici multis nominibus pietatem debetis, sed illo maxime, quòd Francisci Borgiæ, quòd Francisci Roscias Sandoualis Lermensium Ducis cognationem vobis attulit, quorum vtriusq; & totius vitæ dignitas, & in regendo felicitas, & apud Reges, ac Cæsares summosq; Pontifices gratia, et apud omnes auctoritas fuerunt, eruntq; omnibus omni tempore miraculo. nulla enim ætas, nulla obliuio eius gloriam generis delebit, quam à parentibus filij, à maioribus nepotes continenti maiestatis indole accipiunt. quod quiuis intelliget, qui in vos oculos intenderit. eminet enim in fronte, oculis, vultu regius habitus, regius decor: eminet in dictis, factisq; vestris vis ingenij, vis consilij inuidia maior, quæ Indos inuecta, vtriusq; vestrum nomine, quasi gemino Sole, vtrumq; illustrauit Orbem: eminet in fascibus, imperioq; vestro summa potentia regiæ potestatis particeps, vitæ necisq; domina: eminet in legationibus, ac Præturis summa felicitas, quam non casus, & fortuna, sed ratio, et prudentia genuit: eminet in mentibus, studijsq; vestris, expressa

religio, exquisita pietas, totiusq; forma honesti; vt, quod est in Principe necessarium, sed rarum, nullis animi commotionibus, nullis perturbationum flatibus, tempestatibusq; iactemini. Hæc qui reputet, nec os istud augustissimum, accerrimumq; iudicium reformidet: aut stipes est, aut impudens. Sed in hoc cætu cæloq; decorum fulgentissimorum, mitiora quædam sidera intermicant, quæ illorum nitorem tẽperant, oculosq; confirmant intuentium. intermicat in maiestate comitas, in felicitate moderatio, in fascibus lenitas, in imperio æquitas, in potentia modus, in illa sublimitate mentis, & consilij docilitas, crebraq; consultatio, quam monet Aristoteles, rerum esse humanarum augustissimam, in religione, ac pietate morum suauitas, & vrbanitas, in animi, commotionumq; æquabilitate clementia, commiseratio, indulgentia. Qui igitur? metum illa iniiciunt? hæc amorem. admirationem illa pariunt? hæc obsequium. adeuntes illa inhibent? hæc alliciunt. Quare quod vos familiarius huc vocauimus, quod in has angustias coniecimus, quod mensa frugalissima excipimus, quod pudorem, metumq; comites maiestatis ablegauimus: vestræ id humanitati, beneuolentiæq; in nos adscribite, et in nostra culpa vobis ignoscite. Dilui, nisi fallor, vestra comitate audaciã, accessumq; patefeci obseruantiæ. sed adhuc Musæ trepidant, quibus in Helicone ingentes occurritis, ac longius etiam ingenij, quàm imperij fascibus submouetis. magna vos fama præcessit eruditionis, & scientiæ, magna gloria ingenij; sed famam uicit expectatio, expectationẽ aduentus, aduentum aucta semper, semper adolescens admiratio. nã quanti

estis

estis in Philosophia? quanti in Ethicis, ac Politicis? quanti in Rhetorica, ac Poetica? quanti in Mathematicis, & Historia? quanti in laudandis artibus planè omnibus? testes apello Hispanias, Indias, Venetias, Romam, Neapolim, totamq; Europam. quibus in locis aut audita vox, aut accepta imperia, aut lecta carmina, aut celebrata fama, magnus magni ingenij radius corruscauit. O si modestia vestra pateretur recitari hic carmina, festosq; Hymnos, quibus christiana mysteria venerati estis. ò si pateretur afferri in medium comœdias, tragœdias, aliaq; laudatissima vestrorum monumenta ingeniorum, quàm nobis ipsis nostra hæc sordescerent! Sed quò feror imprudens? quò rapit impetus? quò vocat vestræ lux eruditionis! sunt qui aurem vellicant, monentq; non commendari in Principe scientiam, ac minimè omnium poëticam. quid ita? quia laus, & ars Principum regere imperio populos: idq; quasi è tripode pronunciant. qui nam hi? qui homines? doctores prudentiæ, Regiæ Maiestatis Aristarchi. ò inertem Platonem, qui beatas fore Respublicas putauit, si qui regerent omne suum studium in doctrina, ac sapientia collocassent. ò hebetem Aristotelem, qui humanæ vitæ gubernacula eloquentiæ, sapientiæq; & eruditioni tribuit. ò ineptum Ciceronem, qui salutem Asiæ auguratus est, quòd is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina percipienda plurimum à pueritia studij fuisset, ac temporis. ò impostores Senecam, Plutarchũ, Tacitum, ceteros omnes, qui doctrina promoueri prudentiã, præparari ad virtutem animos, virtutem ipsam ornari, ac perfici edixerunt. expungantur iam ex albo Principum

 isti

istis Imperij censoribus, qui Reipublicæ administrationem aliqua instructi scientia capesserunt. expungatur magnus ille Israelitici dux populi Moses, qui primus omnium hexametro versu cecinit, cùm prodigiosum maris Erythræi hiatum, stuporemq; aquarum aridum iter vadentibus præbentium, sospes in littore cecinit. expungatur Trismegistus regno, sacerdotio, scientia maximus. expungantur Dauides, ac Salomones, reges sapientissimi, poetæ planè diuini. expungantur Græcorum præstantissimi Draco, ac Solon, quòd leges versibus tulerint. expungantur C. Iulius Cæsar, qui prælia non minore gloria scripsit, quàm gessit. expungatur Augustus, qui Orbem terrarum victorijs illustrauit, ac versibus. expungantur Romani Cæsares prope omnes, qui ad maiestatem imperij pertinere arbitrati sunt, si aut Musas ipsi colerent, aut se colere simularent. neq; enim ferenda duplex in Principe gloria Imperij, & Ingenij. Princeps est summus, prudens, fortis, magnanimus? ne sit eloquens, ne sit philosophus, ne sit poeta. P. Scipio Africanus fuit ætatis suæ imperator maximus, orator idem maximus, Lælioq; aut par, aut maior: sed mos est hominum, inquit Cicero, vt nolint eundem pluribus rebus excellere. nam vt ex bellica laude aspirare ad Africanum nemo potest: sic ingenij, litterarum, eloquentiæ, sapientiæ deniq; & si vtriq; primas, priores tamen libenter deferunt Lælio. O liuor, ò pestis. nihil iam vereor horum hominum censuram, qui idcirco scientiæ ornamenta Principi detrahunt, ut sibi aliquid reseruent. ingenium potius vestrum ueneror, Principes: cui quæcumq; nostra commendatio, impar et audax; tacita dumtaxat veneratio;

tio; auara et manca. Immensum supra ceteros ingenium se vestrum euehit, cum commentatur, cum molitur aliquid, viresq; explicat Sole fulgentiores. in quas, nisi alter Apollo, nemo aciem intenderit. sed idem tamen adeò est humanum, & comes; vt aliena non negligat, sed amet studium obsequentium, admittat imparem obseruantiam, foueat conatum, tenuitatem adiuuet. O serua vetustatis, inuida sui, ætas nostra! Miramur Alexandrum: extollimus Augustum; quòd edicto cauerint, ne quis eos nisi in arte præstantissimus aut caneret, aut fingeret. atqui arrogantia isthæc est, indecora Principi, indigna præconio. illa, illa certa, & excelsa virtus, quæ nec aucupatur laudem, nec aspernatur oblatam quantumuis licet imparem. O prodiga pietatis prisca secula! quàm nostra hæc vobis viderentur auara, & parca! vmbram virtutis, & leuissima sæpe beneficia diuinis honoribus prisca gens, prisca ætas affecit. Quid, si eo tempore virtus vestra affulsisset? quæ signa, quæ templa, quas aras meruisset! qui nulla animi arrogantia, nulla voluptate, aut auaritia, per summam integritatem, ac beneficientiam, publicam salutem peperistis. Templum Isidi sacrauit Aegyptus, quòd ab ea litteras accepisset, quid, si molem illam à te excitatam, æmulam Pindi, Helicone augustiorem intueretur? si tuis reuocatas, tuis excitatas Musas auspicijs contemplari magnopere posset: quo te loco ac numero haberet? Hydram peremit Dijs adscriptus Hercules: cui, vno exsecto capite, multa protinus pubescebant. atqui animal hoc nusquam fuit: lacus fuit, aqua palustris fuit, quæ ab vna scaturigine pluribus riuis, quasi capiti-

pitibus, ingentes serpebat per agros; quam Hercules patefacto itinere exhausit. magnum profectò opus, & ad publicam salutem percommodum: at quantò maius, quantò opportunius, quòd Mophetam, & Gorgonem, duas aquarum scaturigines, immensos per agros, immensis repentes voluminibus, sterilitatem aruis, pestem aëri inhalantes, acri aggressus animo, exsiccasti? quòd effosso aluco millium passuum triginta stagnantes aquas, præcipites ire coëgisti? quòd duas Hydras, campis incubantes, in mare demersisti? quòd annonæ difficultatem, quæ vna res interitum huic vrbi afferre posse metuebatur, calamitatem sæpe attulit: funditus sustulisti? cum in ore ac faucibus nostris frugum copiam vbertatemq́ perpetuo paraueris. Adde importatas aquas: adde molarum in sinu complexuq́ vrbis opportunitatem: adde expeditum pro classibus in littore commeatum: adde restitutam fisco, ærarijsq́ fidem, quæ perierat: adde, vt vno verbo dicam, partes omnes Reip. aut sanatas, aut emendatas, aut optime constitutas. quarum singulæ Laconibus, Aegyptijs, Romanis, gentibus alijs, satis superq́ fuerant, ut in concilium te Deorum adsciscerent, vt flamines, vt aras, vt sacra decernerent. cur enim eximiæ, exploratæq́ virtuti negarent, quod interdum temeritati, & casui tribuerunt? sanè casu accidit, vt geminæ illæ flammæ, quæ ventorum flatu, siccisq́ exhalationibus, crasso è vapore incenduntur in nauigijs, supra Castorem, supra Pollucem, coorta tempestate, repente existerent. ac videte, quàm fuerit prodiga honorum illa ætas: id enim prodigij loco habuit, fratresq; germanos in Deos retulit; quòd eorum arbitrio iussuq;

cre-

crederet, geminos illos ignes subsidio affuisse periclitantibus. Affulsistis nobis germani fratres, concordes animæ, præclara Hispaniæ sydera, saluberrimæ Italiæ faces: fluitantibusq; et æstuantibus rebus affulsistis. Notum illud, totaq; Europa atq; Asia vulgatum, tuis Francesce consilijs reconditum in vaginam, districtum Romani Pontificis gladium, iuguloq; Adriatici maris imminentem: tua ope, atq; opera totius Italiæ tranquillitati, paciq; prospectum: tua industria, fide tua extinctum ignem, cum maximè videbatur excitaturus incendium. notum illud, satisq, omnibus exploratum, legione, prudentiaq; tua factum, ne recentibus hisce tumultibus suo Italia sanguine mergeretur. certum illud etiam, certaq, fama celebratum, legionibus tuis, tuis Petre militibus, prohibitos Heluetios, Gallos, Germanos, ne hac eadem occasione ad diripiendam Italiam irrumperent. certum illud, oculisq; subiectum nostris, classe tua, tua solertia fugatos Turcas, captas biremes, partam domi, forisq; pacem. Nemo est, qui nesciat fluitantes Regni huiusce vires, opesq; tua etiam prudentia, vigilantia, integritate, fida tutaq; in statione conquiescere. Adeste gemini semper ignes, salutares ignes: incubate animis, incubate capitibus nostris. atqui non potestis, quin gemina nos face foueatis. neq; nos deseris, Petre, quòd ad arcem vocaris Imperij, vt summo capiti assideas. implebis tu quidem, Francisce, Proregis vices, mensuramq; præstantissimorum Præsidum longe lateq; excedes: at Petrus summo capiti admotus, Rectores ipsos regendos suscipit, qui summi responsa oraculi Petro interprete præstolabuntur; cuius nobis sidus non subtrahitur, sed siderum Principi additum,

tum, ſplendebit luculentius, fouebitq; benignius. Quòd cum facitis, nulla ratione deeſſe vobis poterunt ſigna, templa, aræ. ſtabunt viuo calentes igne aræ: ſpirantia viuo marmore templa: mutæ, & eloquentes ſtatuæ: caleſcent amore corda: flagrabunt pectora obſequio: agemus diſertiſſimo ſtatuarum ſilentio gratias. In templo Iſidis, ac Serapidis ſimulacrum effinxerunt Aegyptij, quod digito labijs appreſſo ſilentiumomnibus indiceret. quo ſilentio taceri uolebant, fuiſſe homines, quos ſuo ipſi ſuffragio in Deorum ſenatum cooptaſſent. hoc illi de vobis ſentirent, hoc prædicarent: nos tamen eodem illo ſimulacro ſilentium idcirco edicimus, ut tantam NATVRÆ, VIRTVTIS, DOCTRINÆQ. maieſtatem, tantamq, in nos, omneſq; promerita, quibus nulla par eſt oratio, taciti potius veneremur, quàm oratione deteramus. Dixi.

Imprimatur.

Alexander Boſchius Vicarius Generalis.

M. Cornelius Tiroboſcus Prædicator. Ordin. Curiæ Theologus.

ERRATA

Pag.	Verſ.	Errata	Correcta
9	22	intronſi	intonſi
17	8	purgite	gurgite
Ibid.	15	Iſmariaq;	Iſmariaſq;
23	21	claudiet	claudier
25	1	meritis	metiris
26	11	indiſcreca	indiſcreta
27	11	laſtea	lactea
28	11	populus	populos
Ibid.	13	deſignat	deſignant
31	4	ie	te
46	9	ſitiriri	ſitiri
51	16	Ibere	Ibera
60	1	parit	pari
64	16	e cor	et cor
102	24	fuigens	fulgens
109	15	poſcet	paſcet
116	3	melleis	malleis
124	25	miter	mirer
131	5	incenda	incendia
145	11	claſibus	caſibus
149	8	addem oras	adde moras